APOLOGETICA EX-
POSITIO,

QVA OSTENDITVR
TIGVRINAE ECCLESIAE MINISTROS

nullum ſequi dogma hæreticũ in Cœna domini, libellis quorũdam acerbis oppoſita, & ad omnes ſynceram ueritatem & ſanctam pacem amantes Christifideles placidè ſcripta, per *HEINRYCHVM BVLLINGERVM*, Tigurinæ eccleſiæ miniſtrum.



IESVS.

Hic eſt filius meus dilectus, in quo placata eſt anima mea: ipſum audite.
Matth. 17.

TIGVRI APVD ANDREAM GESNERVM F. ET IACOBVM GESNERVM FRATRES.

APOLOGETICA EXPOSITIO, QVA OSTENDITVR TIgurinæ Ecclesiæ ministros nullũ sequi dogma hæreticum in doctrina Cœnæ Domini, Libellis quorundam acerbis opposita, & ad omnes synceram ueritatem & sanctam pacem amantes Christifideles placidè scripta, per *HEINRYCHVM BVLLINGERVM* Tigurinæ Ecclesiæ ministrum.



ON sponte nec petulantia quadã aut vlla contendendi libidine, aut quenquam in certamen prouocandi studio dicturus nunc procedo, sed aduersariorum quorundam acerbißimis nulloq; modo dißimulandis scriptis protractus adeoq; summa quod dici solet adactus neceßitate. Vulgati enim sunt, quos ego quidem viderim, Libelli quinq;, fortaßis plures, quos nondum vidi, prodierunt, à diuersis scripti authoribus, sed singuli ex professo in nos, ceu omnium quos vnquam tulit terra, aut quos vlla vnquam viderunt sæcula deprauatißimos homines æditi. Equidem nominatim & identidem protrahimur Tigurini, protrahuntur et mortui in domino & viuentes Tigurinæ ecclesiæ ministri. Recensemur inter Valẽtinianos, Anabaptistas, Dauidianos,

& Memnonitas. Adobruimur barbaris probrosissimisq; appellationibus nuncupati Schuermeri, theomachi, cybeutæ, impostores, iconomachi & psychocleptæ. Nam et doctrinam nostram appellant vanam, lolium, venenum, pestem, hæreticam, sacrilegam, sathanicam. Ideoq; non verentur & nos hisce ornare titulis, vt vocent impios, mendaces, lupos, sacrilegos, pseudoprophetas & pseudoapostolos, sed & prophetas ac apostolos satellitesq; diaboli, incendiarios & pacis turbatores, deniq; pertinaces hæreticos, blasphemos, quin & blasphemia diffluentes. Quibus ne quid absolutæ desit criminationi, addunt insuper & hæc, Nulla est illis hominibus religio, at magna audacia corrumpendi innumeros scripturæ locos peruertendiq; scripta veterum. Sunt enim homines leues & ociosi, fingentes subinde noua dogmata primitiuæ ecclesiæ ignota, & pugnantia cum doctrina scripturæ sanctæ & cum perpetuo consensu catholicæ ecclesiæ, diaboli organa appositissima ad exitium ecclesiæ perniciemq; totius Reipublicæ. Et hæc quidem omnia nobis propter doctrinam præcipuè quam in negotio Cœnæ dominicæ sequimur, impingunt. Quis verò fidelis Christi minister tam atrocia dissimulet, aut surda aure transeat? Agnoscimus sane nobis patientia constantiaq; Christiana omnis generis contumelias, probra iniuriasq; aduersariorum omnium & ferendas esse et superandas. Id quod vt præstemus dominum sedulò oramus. Et quidem nunc propter Christum, qui nobis quoq; nostra condonauit peccata, illis nostris antagonistis grauissimam illam nobis illatam iniuriam, condonamus,

namus, precantes dominum vt ipse quoque grande scelus condonet spirituque suo illuminet vt quid peccarint agnoscant. Interim ne nostra illa demissione ferocibus illis, vel culpam deprecari, vel crimina intentata agnoscere videamur, neue viri boni iure dicant nos parum strenuè nostro defungi officio, veritatemque & sanctum nostrum ministerium deserere imò & prodere, adde & simplicioribus vacillandi denique & male suspicandi de ecclesia Tigurina, quæ orthodoxa alioqui non hæretica est ecclesia, occasionem obiectare, domino aspirante planum efficiam, Ecclesiæ Tigurinæ ministros nullum dogma sequi hæreticum in doctrina Cœnæ domini, neque vllos vel scripturæ sanctæ vel synceriorum veterum scriptorum sententias corrumpere, vel vlla dogmata noua confingere, aut consensum catholicæ ecclesiæ perpetuum diuellere, sed nos religiose potius versari in scripturis sanctis, & ne latum quidem pilum à dogmatibus receptis apostolicæ ecclesiæ deflectere, atque ita sanctè in orthodoxa & catholica fide perseuerare.

Scopus huius expositionis apologeticæ.

Illis verò qui sibi prorsus persuaserunt omnia illa conuitia & scripta aduersariorum acerba tacendo vberiore cum fructu declinari potuisse, & illis etiam qui huiusmodi scriptores, non benigne, sed pro merito ipsorum acerbissime & excipiendos & tractandos arbitrantur, illud apostoli ex posteriore ad Corinthios, relinquo expendendum, Ne vsquam demus offensionem, ne reprehendatur ministerium, sed in omnibus commendemus nos ipsos, vt Dei ministri: in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in car

ceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in puritate, in scientia, in animi lenitate, in benignitate, in spiritu sancto, in charitate non simulata, in sermone veritatis, in potentia Dei, per arma iustitiæ dextra & sinistra, per gloriam & ignominiam, per conuitia & laudes, quasi impostores & tamen veraces, quasi ignoti & tamen noti, quasi morientes & ecce viuimus, quasi correpti & non occisi, quasi dolentes semper tamen gaudentes, quasi pauperes multos tamen ditantes, vt nihil habentes & omnia poßidentes.

Proinde hac saltem vice benignas mihi aures præbete, viri patres & fratres in Domino semper venerandi et dilecti. Neq; est quod metuatis vos nihil in hac mea expositione, quod apologetica dicatur, audituros quàm probra & conuitia, quibus aduersariorum contumelias compensem, ac in ipsas inuehar scriptorum personas. Quinimo libenter abstinebo ab illorũ personis, quas ne quidem nominauero, cum ita hoc vobis placere subintelligere videar. Nollem tamen hoc aduersarios huc retorquere, quasi à me vilipendantur & nomina ipsorũ malignè ac contemptu prætereantur superbißimo. Si quid illis diuina conceßit benignitas, vt docti sint, & apud suos in magno precio ecclesiarum ministri habeantur, adeò hoc illis non inuideo, vt ipsis adhuc vberiorem imprecer felicitatem, adeoq; sicubi videãtur sui veluti obliti, & se præter decorum nec pro ministerij sui eruditionisq; existimatione ac dignitate gerere, sortem ipsis optem meliorem. Ferè autem fit in collationibus, vt personæ inuehentes in personas, rem tractãdam

vel

vel cupidi negligant, vel altercando obſcurent, ſimul autem exiguo cum fructu diſſerendo, magnam adferant auditoribus moleſtiã. Quas quidem ob cauſas prætеritis aduerſarijs, quaſi quinã illi ſint, neſciã, ad ipſam duntaxat cauſam diſcutiendã, pro meæ gratiæ à Domino acceptæ modulo, fidelem adhibebo diligentiam.

Neq; hic etiam veſtra abutar beneuolentia. Potiora enim huius cauſæ tractabo non ſingula, neq; minutias anxiè perſequendo excutiam, tantum abeſt vt conuitijs & ſophiſmatibus quibuſuis reſpondere neceſſarium & vtile fore exiſtimem. Studebo itaq; quoad eius fieri poteſt, breuitati ſimul & perſpicuitati ſimplicitatiq;. Et quidem res ipſa eiuſmodi eſſe videtur, vt nerui vel præcipua rei paucis & dilucidè explicari, deniq; et intelligi, nulloq; negotio illa etiam, ad quæ ſingulariter & prolixè non reſpondimus, qualia ſint, dijudicari poſſint. Dominus Ieſus facultatem iſta præſtandi benignè nobis concedat.

Conſentire non diſſentire nos in cauſa Cœnæ Domini.

Principio edita Farragine confuſanearum & inter ſe diſsidentium opinionũ de Cœna Domini, ſpectabilis obijcitur nobis diſſenſio. Ac ne huius argumenti neſcias occaſionem, ſcripta & ædita eſt annis ab hinc 6. Conſenſio mutua in re ſacramentaria clariſs. viri D. Ioan. Caluini, præterea & venerandi ſenis deq; Eccleſia optimè meriti D. Guilhelmi Farelli, reliquorũq; fideliũ Geneuenſium et Neocomen. eccleſiæ miniſtrorum, & noſtrum quoque qui Tigurinæ miniſtramus eccleſiæ. Ac

Farrago confuſanearum opinionum.

tum quidem adiectis epistolis, exponebamus, qua occasione & in quem finem nostram ederemus Consensionem. Sperabamus certè si quid suspicionum ex diutino & iam aliquandiu intermisso certamine fuisset adhuc relictum, illa nostra consensione iri expunctum. Sed ecce insurgit de repente qui non modo non gratulabatur fratribus concordiam, sed concordes in syncera Christi veritate, diaboli confœderatos appellat, Farraginem illam protrudit, classicū canit insistitq́, vt dissipetur ista diaboli (sic fortassis loqui consueuit) coniuratio. Quis verò hæc non miretur? Inter alia, Nusquam, inquit, sibi constant in vna certa & perpetua aliqua sententia, vacillant ipsi, hærent incerti, dubij, perplexi, aliosq́ dubios & perplexos non tantum relinquunt, sed etiā reddunt. Addit, D. Lutherum hāc quoq́ dissensionem nostris obiecisse. Sed & exemplis aliquot in medium prolatis, diuersitatem illam omnium oculis contemplādam exponit, Cū, ait, disertum sit domini verbū, Hoc est corpus meū, isti diuersissimas affingunt expositiones. Hoc significat corpus meum. Hoc est signum, figura, vel symbolū corporis mei. Hoc est memoria vel memoriale aut commemoratio corporis mei. Hoc est testimonium & obsignatio traditi corporis mei. Et reliqua. Ex illa varietate colligit agi nos erroris spiritu, doctrinamq́ nostram & semetipsam elidere, & manifestè hæreticam apparere. Cæterum si sic pergat ob diuersas expositiones crimen impingere hæreseos, quid tandē fiet de ipsis, quibus dudum est obiectum, ne ipsis quidem in expositione verborum domini, Hoc est corpus meum, congruentia

tia

tia scribere per omnia. Excipit ille, Quanquam nostri nonnihil variant in eloquutione, tamen in sententia conueniunt. Omnes enim intelligunt de vero corpore & sanguine, quæ constanter asserunt in Cœna distribui et percipi. Quod si hæc ipsis iusta suæ diuersitatis videtur esse excusatio, recipiant à nobis vicißim illam ipsam satisfactionem, quam offerunt nobis. Quanquam enim nonnihil variemus in eloquutione, omnes tamen conuenimus in sententia. Omnes enim intelligimus de vero corpore & sanguine Domini, quæ constanter dicimus in Cœna à fidelibus percipi spiritualiter nō corporaliter. Et quis oro tam obesæ & morosæ mentis est, qui nō intelligat istas omnes loquutiones, quas obyciunt veluti contrarias, in idem recidere atq; adeò, quod aiunt, æquipollere? Cur ergo rem leuiculam ad tam enormem innocentium ignominiam attollunt? Verè pronunciauit Solomon, Odium excitat occasiones contentionum, sed dilectio multitudinem obtegit peccatorum.

Scripserunt olim Pontificij vastas contra D. Lutherum Antilogias, quas ex libris eius studiose collegerant, & his vniuersam eius doctrinam in suspicionem contradictionis erroris q; semetipsum subruentis, adducere studebant. Cæterùm cum antilogiæ istæ potuerint reduci ad concordiam, aut aliqua saltem ratione excusari à non malignæ mentis hominibus, an non indignißimè vobiscum agi clamaretis, si quis rigidè pergeret vobis antilogias illas obtrudere, & ex his fœdum crimen hæreseos inurere? Cur ergo iuxta legem communem non abstinetis ab hac vestra calumnia, nobis q; non impin-

gitis, quod vobis impingi non vultis? aut cur eadem illa æquitas in sententijs nostris & loquutionibus nihil reuera inter se pugnantibus, non seruatur, quam seruari in vestrorum antilogijs postulatis? Viuenti D. Luthero & hanc nobis diuersitatem interpretationum obijcienti, opposuimus morem catholicæ & orthodoxæ veteris ecclesiæ, quæ diuersas & non raro contrarias inter se eiusdem loci interpretationes habuit: neq; tamen ob tam spectabilem diuersitatem, interpretes, quisquam hæreseos aut corruptionis scripturarum condemnauit. De his abunde testantur hodie veterum ecclesiæ doctorum Commentarij diligenter inter se collati.

Viuenti D. Zuinglio & D. Ioanni OEcolampadio obiecit sane D. Lutherus dissidium, quod hic verba Domini exponeret, Hoc est figura corporis mei: ille vero, Hoc significat corpus meum. Ex hac diuersitate & ille colligere voluit, doctrinam ipsorum semetipsam elidere. Sed responderunt boni illi viri & fideles ecclesiarum ministri, se consentire non dissentire. Cuius quidem rei extant adhuc scripta & publicata testimonia. Quis vero nesciat eiusdem esse verba interpretari, qui primum verba protulit? Quis nesciat verba in hoc esse inuenta, vt quid animo sentiamus, verbis pronunciemus? Cum ergo isti disertis verbis consensum mutuum testati sint, frustra colliguntur verba aliquot, quibus dissensio demonstretur. Consensimus & consentimus in doctrina Euangelica, & in causa Cœnæ Domini Heluet icæ ecclesiæ, Consensionem hanc testati sumus scripto publico, Consensionem hanc non improbant aliæ ecclesiæ:

Consensio.

clesiæ: non improbant viri clarißimi & singularia Dei organa D. Petrus Martyr, D. Ioannes à Lasco, & cæteri quos non commemoramus. Quorsum iam pertinet dißidentium colligere farraginem? aut quæ malum insania est spargere illos dissentire, quos pax & concordia ecclesiarum, quarum illi ministri sunt, consentire testantur, adeóque synceram concordiam veluti obsignant?

Sparsus quondam fuerat à pseudoapostolis rumor inter ecclesias ex gentilibus collectas, Paulum docendi ratione multum dißidere à cæteris apostolis, qui in prædicando Euangelio legem gratiæ coniungant, neque doceant fide sola absque lege iustificari peccatores. Eam ob rem ascendit Hierosolymam Paulus, vbi cum Petro, Iacobo & Ioanne, ac reliquis eius Ecclesiæ presbyteris, suum contulit Euangelium. Ac patuit ex ea collatione & consensione, omnibus eandem ab vtrisque partibus rationem prædicandi Euangelij seruari. Id quod etiam datis mutuum dextris, & ædita synodali epistola, omnibus ecclesijs contestati sunt: quod ipse ad Galatas commemorat Apostolus, & indiuiduus Apostoli comes Lucas in Actis apostolicis capite decimoquinto. Si verò post contestationem hanc consensionis apostolicæ, Archigenes aliquis malè feriatus extruxisset chaos Apostolicarum inexplicabilium, & mutuum sese collidentium opinionum dissentionúmque, an vllam ab electis Dei retulisset gratiam? An verò non potuisset Minæus aliquis commonstrare, non probè multas sibi consentire sententias

Consensio et dissensio apostolica.

apostolicas? Et apostolum quidem ipsum Paulum in vna atque eadem ad Romanos epistola dicere, Non qui legem audiunt iusti sunt apud Deum, sed qui legem faciunt. Et eundem mox iterum dicere, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. Rursus eundem dicere, Si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud Deum. Quid enim scriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Et reliqua. Contra verò beatum Iacobum reliquisse scriptum, Abraham pater noster, nónne ex operibus iustificatus est? Et reliqua, quæ leguntur Iacobi secundo capite. Quid? an non habent ista magnam dissensionis speciem? An non Archigenes ille Nazaræus vel Minæus bonam operam se nauasse putabit? Quid verò sentiunt de his fideles? aut quam gratiam referent fartori pro illa sua fartura aut farragine? Nullam sanè, quinimò indignabuntur potius. Sentiunt enim omnes Sancti veram esse apostolorum consensionem, ea verò quæ aliquam præ se ferunt contradictionis speciem, aliter atque aliter pro occasione & circumstantijs locorum, temporum ac personarum esse scripta, denique & interpretanda. Quanquam verò scripta hominum, licet sanctissimorum, nedum nostra, apostolicis scriptis nullo modo, hac collatione in medium allata, exæquem, ex ipsa tamen colligunt cordatiores, quàm promptum sit cuiuis farragines in re qualibet colligere, interim verò non quamuis mox dissensionis speciem, inter diuersa pronunciantes, veram inter ipsos dissensionem esse comprobare

probare posse, multò minus huiusmodi esse hæreticos.

Sed cur huius rei exemplum accerso tam procul, cum ipsorum verborum Domini Cœnæ diuersitas, & in hac ipsa tamen diuersitate summa concordia, nos poßit instruere, non protinus animis & reuera dißidere, multò minus hæreticos esse, qui dißimiles aut etiam in speciem dißidentes proferunt sententias. Matthæus, Lucas & Paulus scribunt: Vescentibus eis accepit Iesus panem (καὶ εὐχαριστήσας) & cum egisset gratias, dedit illis. Vnus Marcus habet, Et edentibus illis sumpto Iesus pane (καὶ εὐλογήσας) cum benedixisset, dedit illis. Lucas habet, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Paulus legit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Neutrum inuenitur apud Sanctum Matthæum & Marcum. Quid quod Sanctus Paulus verba solennia, quæ consecrationis vocant, inuertit? Nam cum cæteri dicant, Hoc est corpus meum, solus Paulus ait, Hoc meum est corpus. Circa verba poculi longè luculentior cernitur diuersitas. Matthæus præmittit, Bibite ex hoc omnes. Marcus subiungit, Et biberunt ex eo omnes. Horum Lucas & Paulus non meminerunt. Matthæus denique & Marcus de poculo hæc nobis relinquunt, Hic est sanguis meus. Lucas & Paulus nec poculum nec vinum appellant sanguinem, sed manifestè dicunt, Hoc poculum nouum testamentũ est in meo sanguine. Quid quod Lucas, Est, non habet, quod tamen Paulus habet? Matthæus & Marcus dicunt, Qui pro multis effunditur. Lucas ait, Qui pro vobis effunditur.

Diuersitas verborum cœnæ Domini.

Paulus planè omittit, & tamen disertè dixit, Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Rursus repetit Paulus quod Lucas non habet, Hoc facite quotiescunque biberitis in mei commemorationem. Adijciunt Matthæus & Marcus, Non bibam posthac de genimine vitis huius. Paulus eius sententiæ ne verbo quidem meminit. Quid quod horum omnium beatus Ioannes apostolus planè non meminit. Exagitasset certè hanc diuersitatem Porphyrius aut Iulianus aut Libanius aut Lucianus aliquis. Quid verò sentiunt & agunt pij & docti in verbo Domini? Sentiunt nihil inter se dissentire Euangelistas & apostolos: redigunt ergo verba illa & sententias in concordiam sanam, vt deinceps omnibus pateat, sub diuersis verbis & sententijs eandem omninò rem doceri. Quod si extersa ex animis inuidia, æqui lectores expenderint, quæ & nos sub diuersis verbis in explicatione verborum Domini, Hoc est corpus meum, protulimus, apparebit liquidè prorsus, idem nos loqui & sentire, sanctam & religiosam adferre interpretationem, & idcirco Christi omniúmque Christifidelium, non Sathanæ & hæreticorum esse confœderatos, denique constare nobis omnibus in vna certa & perpetua aliqua sententia, non vacillare nos, non hærere, aliosq́ perplexos dubios & intricatos reddere.

Sacra-

Sacramenta Christi Domini non exinaniri, uel uacua à nobis reddi.

Aliud deinde crimen nobis intentatur longè enormius, exinanire, id est, euacuare atque adeò prophanare nos Sacramenta corporis & sanguinis Domini, dum pertinaciter disputando de carnis & sanguinis Christi absentia, non possimus non exterminare è Cœna fidelium veritatem corporis & sanguinis Christi, neque aliud porrò manducandum & bibendum relinquere fidelibus, quàm merum panem & vinum, vacua vtique & nuda signa, planè nihil à prophanis signis differentia, quibus vtiq; citra mysterium & fructum, aliquid ceu in tragœdijs aut tabernarum signis repræsentatur. Adijciũt his, simulare quidem nos amplius quiddam in Sacramentis agnoscere, quasi uerò Christi caro et sanguis percipiantur à sumentibus, cum reuera ita imponere statuamus simplicioribus. Reuera enim ac perpetuo nos perstare in sententia D. Zuinglij & Oecolampadij, qui nihil reliquerint Ecclesiæ, nisi inania signa, panem scilicet & vinum, quæ cum percipiuntur in Ecclesia, corporis & sanguinis Christi absentis memoriam debeant reducere. Id vt lectoribus persuadeant, plurima coaceruant vndiquaq; collecta ex libris nostrorum & nostris, testimonia.

Ita quidem isti nos adoriuntur, dum autem vicissim à nobis vrgentur veritate corporis Christi, coguntur sanè, velint nolint, fateri, signa Sacramentalia, non ad eum adimpleri modum, quo vacua lagena adimpletur vino, aut alio aliquo liquore.

Ergo caro et ſanguis Domini, inquiũt, non ſunt in pane et in vino, qualitatiue, aut quantitatiue, aut vt in loco. Proinde illis ipſis interpretibus, vt plena non vacua ſint Sacramenta, planè non requiritur vt ipſum Domini corpus & ſanguis qualitatiue, quantitatiue & vt in loco comprehendamus in pane et vino. Hoc autem cum ad eum modum, quem nobis præſcribunt ipſi, facimus, cur dicunt nos euacuare Sacramenta? An verò nos euacuamus Sacramenta cum dicimus, corpus et ſanguinem Chriſti non contineri in Sacramento corporaliter: ipſi verò non euacuant, cum aiunt Chriſti corpus non imaginandum eſſe in pane, aut ſanguinem comprehendum in vino qualitatiue, quantitatiue & vt in loco? An non vnum & idem vtrinq; aſſerimus? Excipiunt, Sed omittis tu, quod nos diligenter adiungimus, Verè. Tametſi enim corpus & ſanguis Chriſti in ſignis ſacramentalibus non ſint & percipiantur quantitatiue & vt in loco, ſunt tamen in ijs & percipiuntur verè nihilominus. Quaſi verò nos fictam, inanem aut imaginariam ſine effectu participationem intelligamus. Subijciũt iſti: Nos autem veritatem iſtam explicamus per ſubſtantialem ac corporalem, et tamen ineffabilem præſentiam ac perceptionem. Ergo poſterioribus verbis negant rurſus aduerſarij noſtri, quod prioribus confeßi ſunt. Si enim corpus & ſanguis Chriſti non ſunt in pane & vino quantitatiue & vt in loco, profectò corporaliter non adſunt, & corporaliter non percipiuntur. Hanc illationem non haurimus, quod videri volunt, ex turbidis philoſophiæ lacunis, ſed ex ipſa veritate veri corporis

Chriſti

Christi, atque adeò ex sententia non philosophi alicuius rixatoris, sed ex celebris in ecclesia Christi doctoris, de rebus Theologicis non physicis, theologicè non philosophicè disputantis & dicentis, Spacia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erũt. De qua re paulò post copiosius dicetur. Rursus si corporaliter est & percipitur corpus & sanguis Christi in cœna, quomodo dicitis adesse & percipi ineffabiliter? Ineffabile est, quod verbis effari non potest, vel cuius modus explicari non potest. At vosipsi iamiam modum præsentiæ & perceptionis exposuistis, dum dixistis, essentialiter vel corporaliter. Si modus est corporalis, ergo et effabilis. Si verò ineffabilis est, ergo corporalis nõ est. An verò resoluent isti nobis verum Christi corpus in spiritum? Vetat hoc Christiana religio & fides orthodoxa. An contendunt ex æquo vacuam aut inanem ac puram nos aquam in baptismo habere, nisi insuper concedamus, aquam baptismi conuerti in ipsum sanguinem Christi, aut sub specie aquæ latitare naturalẽ Christi sanguinem? Videte viri pij & sancti, in quas se aduersarij nostri angustias coartent, dum putant se aliter viuificari non posse, nisi corporaliter carnẽ Christi hauriant & abluant se eius sanguine.

Nos verò, vt implicationem istam subterfugiamus, & consona scripturis, fidei & mysterijs diuinis adferamus, quæ deniq; rectè possint à fidelibus intelligi, simpliciter dicimus, ipsum Dei filium assumpsisse verum corpus humanum & sanguinem, quem & pro redemptione & salute nostra profudit. Dicimus hoc

Verum Domini corpus, & verus sanguis cibus & potus fideliũ.

verum Domini corpus & verum eius sanguinem viuificum esse cibum & potum: ac illa ipsa, non pro his alia, non spiritum, non spirituale corpus edendum & bibendum esse ad vitam æternam. Addimus his adhuc clariora, & dicimus: Christus verus Deus & homo, quamuis à nobis in cœlum sublatus sit, & ad dexteram patris resideat, ac corporaliter in terris non sit, adest tamen nihilominus suæ Ecclesiæ, tanquam caput vitale corpori viuenti, vtpote in quo operatur vitam & salutem. Nam vitam quæ est in viuifica eius carne, quam videlicet vt viueremus, in mortem impendit pro nobis (sicuti & dixit: Ego sum panis vitæ, qui ederit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita) participat aut inspirat ille suo spiritu diuino suis fidelibus, vt verè iam in ipsis sit & viuat Christus, fidelésque ipsum vera fide recipiant, & ita pascantur atque potentur ipso Dei & hominis filio spiritualiter.

Quomodo percipiant?

Hæc inquam dicimus expressè spiritualiter fieri, per fidem, etiam extra communionem Cœnæ, quoties fidelis recolit vera fide passionem & incarnationem seruatoris Christi: pariter autem & in ipsa Cœna sancta & mystica, vbi iam etiam accedit insignis illa Christi institutio & solennis actio, quam appellant sacramentalem. Ac disertè hic monemus cum spiritualiter dicimus, nõ sentire nos carnem Christi mutari in spiritum. Credimus enim carnem manere in sua essentia atque natura, ipsamq́ communicari nobis, non carnaliter,

Spiritualiter

& eo modo quo vinum infunditur in pateram corporaliter, sed modo & ratione spirituali, sic vt caro ipsa residens aut manens in gloria ad dexteram patris in cœlo, vitam totam carne tradita partam, spiritu suo viuifico effundat in corda fidelium, verbo Dei credentium, Deum inuocantium & legitimè Cœnam celebrantium. Ergo si perrexerint aduersarij nostri adhuc obiectare symbola nos sacra euacuare, qui corporalem Christi præsentiam & manducationem negamus, spiritualem illam, quam diximus, confitemur & inculcamus: consequetur illos euacuare & pro nihilo reputare Christum, spiritum eius, virtutem, redemptionem item, ac vitam. Nam si hæc Cœnam, imò fideles potius Cœnam celebrantes, nondum adimplent, inanes profectò & vacuæ res sunt. Ac mirum est profectò aduersariorum nostrorum animos sic esse depressos & carnaliter affectos, vt non existiment se vlla alia ratione carne Christi pascendos, nisi corporaliter vel carnaliter ipsam hauriant. Si enim spiritualiter percipi putant, cur litigant nobiscum? An verò non erit Christus vita in cordibus fidelium, nisi corporaliter habitauerit in eis? Euacuare symbola.

Ex istis iam & illud colliquescit nos per spiritum non intelligere inane aut nihil aut imaginationem vanam, sed ipsam Christi veram veri Dei & hominis operationem in sanctis suis viuificam, quæ omnibus numeris fideles absoluat. Similiter cum dicimus carnem CHRISTI per viuificum spiritum & cælestia dona recipi, aut hauriri à nobis fide: Spiritus. Fides.

perfidem non intelligimus subtilem speculationem aut contemplationem humanam, sed virtutem diuinam nobis diuinitus concessam, quæ Christum reuera percipit, eiusq́ vita fruitur. Id cum alij significantius, vt opinor, exprimere voluerunt, dixerunt manducationem corporis Christi differre à fide, eò quod sit fidei effectus, quodq́ verè participes eius facti, ex ipso & cum ipso viuamus. Ego interim, vt istud non improbo, ita vulgari & consueto loquendi genere in Ecclesia vti malo. Nam tota vetustas concorditer manducare reddidit per credere. Cum ipse quoq; Dominus disertè dixerit: Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me non sitiet vnquam.

Cum autem ad hunc modum sobriè & sanctè sentiamus de vera carnis Christi participatione, & de sancta Cœnæ Domini mysterijs, cur non desinunt nostri illi antagonistæ odiosis illis & nos & prædecessores nostros aggrauare præiudicijs? quasi in mysterijs nihil prorsus nisi merum panem & vinum agnoscamus. An verò veritas illa simplex & orthodoxa, non vbiq; legitur in libris nostris, quibus oppugnauimus corporalem in cœna Domini præsentiam & participationem, non spiritalem & viuificam? An non clarè satis hoc ipsum expreßimus in Consensione illa nostra, quæ sola illis satisfacere debuisset.

Doctrina nostra de Cœna Domini, non de vacuis signis.

Sic enim in illa concorditer profitemur: Cum vera sint, quæ nobis Dominus dedit gratiæ suæ testimonia et sigilla, verè proculdubio præstat ipse intus suo spiritu, quod oculis & alijs sensibus figurant sacramenta: hoc

est, vt potiamur Christo tanquam bonorum omnium fonte, tum vt beneficio mortis eius reconciliemur Deo, spiritu renouemur in vitæ sanctitatem, iustitiam denique & salutem consequamur, simulq́ pro beneficijs his olim in cruce exhibitis, fide verò perceptis à nobis, & quæ quotidie fide percipimus, iam agamus gratias. Quare etsi distinguimus, vt par est, inter signa & res signatas, tamen non disiungimus à signis veritatem, quin omnes qui fide amplectuntur oblatas illic promissiones, Christum spiritualiter cum spiritualibus eius donis recipere, adeoq́ & qui dudum participes facti erant Christi, communionem illam continuare & reparare, fateamur. Neq́ enim ad signa nuda, sed potius ad promissionem, quæ illic annexa est, respicere conuenit. Quatenus ergo in promissione illic oblata proficit nostra fides, eatenus ista vis & efficatia, quam dicimus, se exerit. Ita materia aquæ, panis aut vini nobis Christũ nequaquã affert, nec spiritualium eius donorũ compotes nos facit, sed promissio magis spectanda est: cuius partes sunt, nos recta fidei via ad Christum ducere: quæ fides nos Christi participes facit. Et iterum: Quod autem carnis suæ esu & sanguinis potione, quæ hic figurantur, Christus animas nostras, per fidem, spiritus sui virtute pascit, id non perinde accipiendum, quasi aliqua fieret substantiæ vel commixtio vel transfusio, sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata & sanguine in expiationem effuso, vitam hauriamus.

Hactenus consensionis verba recitauimus, audiantur iam à vobis, quibus non vacat integros euoluere li-

D. Zuinglij sententia de cœna domini

bros, audiantur inquam sententiæ beatæ memoriæ D. Zuinglij & D. Oecolampadij, quibus à se repulerunt fœdissimã illam suspicionem, quasi fideles in Cœna præter panem & vinum, planè nihil percipiant. Zuinglius ergo in libello ad principes Germaniæ: Cum nullis mortalium, inquit, nobis est dissidium de verbis Cœnæ Domini, quasi velimus ista immutata esse, vt quidam, aut prorsus sublata, vt alij calumniantur. Cum enim sic sonant, Hoc est corpus meum, iam ipsum sacramentum augustius est, quàm si diceremus, Hoc significat corpus meum: vt omninò nihil velimus mutatum esse: sublata vero è medio quomodo cupiamus, quæ ne muta ta quidem volumus? Habent ergo aduersarij nostri verba ista, habemus & nos. Verba ista illis inconcussa maneant, nam & nobis immota manebunt: Hoc est corpus meũ quod pro vobis datur. Et, Hic est sanguis meus, etc. Dicunt aduersarij hic præberi corpus Christi: idem & nos dicimus. Vbi ergo dissidiũ est? Hic est: dicunt aduersarij corpus Christi naturale et substantiale preberi, nos sacramentale. Hinc pugnæ. Item: Dudũ diximus corpus Christi esse in cœna fidei contemplatione, &c.

Item, Istam fidei contemplationem non credo satis grandem esse, nisi rem ipsam tam certè ac indubitatè teneat, ac si naturaliter esset sensibus exposita.

Item, Signa ipsa sic à Christo ipso sunt instituta, vt etiam analogia sua plurimum polleant ad inducendum in rem fide & contemplatione præsentem.

Item, Licet omnes creaturæ inuitent nos ad numinis contemplationem: at omnis ea inuitatio muta est:

in sacramentis autem, viua & loquens est. Loquitur enim Dominus ipse, loquuntur & elementa, atque idem loquuntur & suadent sensibus, quod menti sermo & spiritus.

Rursus ibidem: Frustra non sunt Sacramenta. Prædicant enim salutem à Deo datam: sensus huc conuertunt, & subinde fidem exercent, quam & proximo pollicentur, atque ad fraternam charitatem trahunt. Atque hæc omnia dum fiunt, vnus atque idem operatur spiritus, qui inspirando nunc citra instrumentum trahit, nunc cum instrumento, quò, quantum & quem vult.

Idem ad Regem Christianum: Christum credimus, inquit, verè esse in Cœna: imò non credimus Domini esse Cœnam, nisi Christus adsit. Sed quod corpus eius ea dimensione edatur, qua isti dicunt, id verò est à veritate & fidei ingenio alienissimum. Asserimus ergo, non sic carnaliter & crassè manducari corpus Christi, vt illi perhibent, sed verum Christi corpus credimus in Cœna sacramentaliter & spiritualiter edi, à religiosa fideli & sancta mente: quemadmodum & Chrysostomus sentit.

Idem in Annotat. ad Ieremiæ cap. 27. Constat quod quæcunque symbolis tribuuntur, ait, fidei sint principaliter, sed iusta & æqua ratione signis tribuantur, cum quod pars Sacramenti sunt (quãuis inferior. Constat enim ex spirituali re et corporali sacramentũ) tum quod idem significant sensibus, quod spiritus menti. Vnde

nemo tam rudis eſt, quem huiuſmodi hyperoche offendant, Chriſti verum corpus in Cœna verè editur, cum panis & vinum præbentur. Verum enim corpus, non falſum aſſumpſit. Verè edit mens fidelis, cum non ſimulatè recipit Chriſtum, cum verè fidit Chriſto. Sed vide an non hæc omnia, cum ſymbolis dicantur, non tamen virtute ſymbolorum, ſed ſpiritus ac fidei operatione fiant: vt allœoſeos virtute ſymbolis tribuatur, alteri ſacramenti parti, quod fidei ſolius (dummodo rem ad viuum reſecare volumus) eſſe cognoſcitur. Verū ergo corpus cum edi dicitur, illud verum corpus, quod cœlo illatum eſt intelligimus, ſed illud ipſum non naturaliter, hoc eſt, quemadmodum ipſum naturale eſt, etiam naturaliter à nobis editur, ſed ſpiritualiter hic edimus, quod iſthic naturaliter eſt, &c. Hæc ille. Extant epiſtolæ Zuingly ad Oecolampadium, & huius viciſſim ad illum, quibus palàm teſtati ſunt mutuum, cum in negotio Euchariſtiæ, tum in vniuerſa religione, conſenſum.

Bernenſis diſputatio.

In Bernenſi diſputatione, in qua piè & diligēter hoc cœnæ negotium diſcuſſum eſt, inter alia dicit D. Oecolampadius: Nullo pacto negamus nos edere corpus Chriſti, & bibere eius ſanguinem: ſed edimus & bibimus ſpiritualiter per fidem, & eam quidem, qua credimus nos Deo patri per mortem Chriſti reconciliatos eſſe: non per illam fidem, qua creditur corpus Chriſti adeſſe ſub pane corporaliter vel ſubſtantialiter.

D. Oecolāp. ſententia de cœna domini

Idem in ſecunda iuſta & æqua ad D. Lutheri ſcripta reſponſione, Germanice data, per integrum caput 18. hoc duntaxat commonſtrare contendit, ſe & Zuin-

glium nunquam docuisse vel scripsisse, quod fideles nudo duntaxat signo participent in Cœna Domini.

Idem alibi: Sicubi panis domini, ait, corpus Domini dicitur; non contendimus. Nam & nos sic appellamus: non solum quod à Domino nostro Iesu Christo Cœna sanctè initiata & instituta est, sed etiam quod in ea sanctificatoris spiritussancti mirificam operationem fidelium pectora experiuntur. Item non dicimus panē hunc nudum quidem signum in Cœna, sed efficax quodammodo, operante spiritusancto in fidelium cœtu, vt fiat nobilius quoddam & sanctius corpus, nobis Christo capite in vnum corpus adunatis. Hoc cum dicimus, minimè Christum à Cœna abesse asserimus. Adhæc non auferimus è Cœna alimentum vitæ, carnem & sanguinem Christi & Christum ipsum. Nam nisi animæ nostræ hoc pabulo fuerint pastæ, nequaquam habituræ sunt vitam. Præterea nunquam à nobis negatum est, quin Cœna etiam fidei seruiat, cùm excitandæ tum augendæ, &c. Hæc omnia Oecolampadij sunt. Non commemorabo nunc alia, quibus isti ornarunt sacramenta, quibus hodie & nos ornamus. Extant libri istorum et nostri. Oramus vt legantur animis ab odio & inuidia defecatis. Ita enim quilibet nullo negotio videbit quid tribuet contentionum feruori, quid causæ per se. Deprehendet certò à nostris & à nobis nunquam prophanè de sacramentis esse disputatum, nunquā ita efferbuisse contentionis calorem, vt nihil nisi nuda signa percipi à fidelibus, in Cœna Domini contenderimus.

Verba Domini, Hoc est corpus meum, nos nostra expositione non corrumpere.

Atque hic demum nostri illi mirifice tumultuantur. Clamitant nos corrumpere verba Christi sacra, Hoc est corpus meum. Clamitant se pro corporali sua præsentia & mãducatione corporis domini habere diserta domini verba, clara & minime ambigua. Vrgent ex his verbum substantiuum Est, id quod ingeminant semel & iterum & perfrequentißime inculcant. Si quid dixeris, quantumuis clarum sit et efficax, illi tamen idẽtidem repetunt & inculcant, illud, Hoc est corpus meũ. Hæc verba, inquiunt, Sacramentarij non audent attingere, ita metuunt suo errori imò blasphemiæ. Addunt, Nos aũt innitimur simplicibus his & claris verbis, vt ea descripta sunt magno consensu & vniformiter vsurpata ab Euangelistis & ab Apostolo Paulo. Docemus aũt hæc domini verba, in sua propria & naturali significatione esse accipienda, sine tropo. Corpus ergo intelligimus, non corporis figuram aut corporis significationẽ. Et verbum substantiuum Est, substantiue, non significatiue accipimus. Illi verò (de nobis loquuntur) in tropum collocant totius ædificij sui firmitatem. Rursus ne hic quoque quicquã acerbitatis à quoquã desiderari possit, semel & iterum, propter tropũ in expositione verborum domini admissum, crimẽ denuo nobis inpingũt hæreseos: quemadmodum & Papistæ, qui & ipsi nullum admittunt tropum, et omnes eos crimine hæreseos perfundunt, qui domini verba per tropum expediunt.

An tropus in verbis domini?

Itaque si hic nulla est admittenda loquutio figurata,

cur non ex integro concedunt noſtri illi antagoniſtæ in caſtra Papiſtica? Aut cur ipſi hæc domini verba, Hoc eſt corpus meum, non ad literam, quod dicitur, intelligunt, ſed per figuram expediunt? Cum enim litera ſonet, Hoc eſt corpus meum, illi noſtri exponunt, Sub hoc eſt corpus meum. Cum hoc accipitur corpus meum, Sub ſpecie panis & vini continetur corpus meum. Quid? an non hic tropus eſt? Si ergo hæretici ſunt, qui per figuram vel tropum hunc locum explicant, expendite obſecro, quam in voſipſos, odio noſtri, tuleritis ſententiam. Si verò hæretici non ſunt, vt reuera orthodoxi & catholici ſunt, qui aſſeuerant verba domini, Hoc eſt corpus meũ, figurata eſſe, ferte et nos, ò fratres, qui nullã hic nobis expoſitionem nouam confinximus & orbi obtrudimus, ſed veterem illam eccleſiæ interpretationem vſurpamus. Dicimus enim pane ſignificari aut repræſentari corpus Chriſti, vinum eſſe ſymbolum, figuram, vel ſacramentum ſanguinis Chriſti.

At vociferantur iſti, hoc demũ eſſe humanum, audax, ſceleratũ, nepharium, hæreticũ atq; ſacrilegum inuentum ac flagitium. Conſcientijs piorum hominum minimè ſatisfieri commentis huiuſmodi hominum blaſphemis. Miror autem, amici an tam atrocia, conuitia et in primitiuam Dei eccleſiam contorquere vos intelligatis, cum qua iſtam noſtram expoſitionem habemus communem. Negatis quidem & pernegatis vlla à nobis poſſe produci vetuſtatis teſtimonia, quæ teſtentur verba Domini veteribus fuiſſe figurata, aut ex veteribus quenquam Eſt expoſuiſſe per ſignificat.

Sed dudum vidissetis hæc in nostrorū editis libris, si voluissetis videre: nunc quid afferri posit flaccessentibus adeò stomachis, non video. Vtinam verò ad audiendum, idq; quod audiuimus diligenter expendendum, plerique tam prompti essemus, quam sumus ad tergiuersandum alacres, inq; rebus quas semel tueri in animum induximus, defendendis feruidi. Cogitemus potius, ô fratres, aliud propediem fore iudicium, in quo nihil tergiuersatio, nihil audacia, omniáque negandi petulantia, nihil clamor vllus, aut prætextus vllus, sed sola Dei veritas, animi probitas fideiq; synceritas & conscientiæ integritas aliquid valebit.

Certè qui panem & vinum non appellauit signa, figuras, symbola aut sacramenta corporis & sanguinis sui, idem neque dixit sub pane, in pane, aut cum pane, aut sub specie panis esse corpus suum substantialiter & corporaliter: multò minus dixit panem transsubstantiari in substantiam corporis Christi, remanentibus duntaxat sine subiecto accidentijs. Admittere ergo expositionem sobriam verba Cœnæ Domini, neq; vrgere oportere nuda per contentionem verba, qui non videt nihil videt. Etenim si seruanda est verborum, vt aiunt, claritas, cur ipsi recedunt à claritate? Dominus dixit: Hoc est corpus meum: isti dicunt, Sub hoc, aut cum hoc, aut in hoc, aut in hac specie est corpus meum. Iccircò recedunt ab illa sua, quam iactant, perspicuitate. Quod si omninò à disertis verbis recedendum non est, vlla ratione, sed perpetuò literæ inhærendum rigidè, quid oro pronunciatū est simplicius, quàm illud

illud Ioannis? Et verbum caro factum est? Et illud, Pater maior me est. Et illud, Philippe, qui vidit me, vidit patrem: & quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Nunquid verò ex his disertis sententijs ea consequebantur, quæ inde colligebant hæretici, vrgentes & ipsi literam, dicentésque diuinam naturam conuersam esse in humanam, filium Dei etiam diuinitate minorem esse patre. Nullam denique inter patrem & filium intercedere distantiam aut personarum discrimen? Ac reuera sunt loci hi adducti plani omnes, quoad verba, interim sensus genuinus non percipitur nisi ex collatione aliorum locorum, ex circumstantijs fideique proportione. Hoc si negetur præfracte, quis non videat semel subuersum iri, quicquid syncere pietatis traditur in sacris libris? Vicißim opponunt nostri illi, Cogitent verò pij omnes, quid de religione uniuersa, quid certum & inuiolatum sit futurum, si ita liceat verba transformare scripturarum. Atqui nemo nostrũ postulat, vt in scripturis vel iota trãsformetur, nemo flagitat vt audacibus & irreligiosis hominibus aditus aperiatur irrumpendi in scripturas & in his quidlibet sursum deorsumq; versandi. Clamamus & nos fidei dogmata certa, nullo modo esse commouenda disceptationibus, imò ne vnquam quidem vocanda in dubium. Hic tamen nemo inficias ibit, fuisse semper, & esse adhuc in ecclesia scripturarum interpretationem, & certam quidem illam & legitimam non arbitrariam, sed admodulatam ad fidei & charitatis proportionem, petitamq; ex materia dictorum

Scripturarũ expositio.

& factorum, ex occasione & circumstantijs aliorúmque vel similium vel dissimimilium diligenti collatione. Semper autem & imprimis religiosam expositionem sacramentis adiunctam esse constat. Cur itaq; impietatis & sacrilegij dãnamur hodie, qui religiose verba Domini, Hoc est corpus meum, & totum denique negotium sacramentarium exponi volumus? Non destituimur hic multiplici scripturarum exemplo. Constat enim cum Prophetas tum Apostolos sacra exposuisse mystica. Et S. Augustinus de catechisandis rudibus, De sacramento sanè quod accepit, inquit, cum ei bene commendatum fuerit signacula quidem rerum diuinarum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in vsu quolibet. Dicendum etiam quid significet sermo ille, quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit. Deinde monendus est, ex hac occasione, vt si quid etiam in scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spirituale aliquid significari, quod ad sanctos mores futurámque vitam pertineat.

Expositio verborum domini, Hoc est corpus meum.

Equidẽ nõ impiã, nouã aut coactam, sed piam veterẽ obuiã sponteq; fluentem horũ Domini verborũ, Hoc est corpus meum, expositionẽ paulò ante in hac expositione nostra, & antea semper protulimus in mediũ. Ac certũ est et extra controuersiã omnem, dominum nostrũ Iesum Christum instituere sacramentũ, dũ instituit Cœnã.

Sacramentum instituitur.

Quid ergo prohibebit, quo minus intelligamus dominũ de

de sacramento loquutum esse sacramētaliter, eapropter istas sententias diuinas, Hoc est corpus meū, Hic est sanguis meus, sacramētales esse loquutiones, et ea de causa exponendas sacramentaliter? Sacramētales ac pares in scripturis loquutiones sunt, Circūcisio est fœdus, Agnus est transitus, Hostia vel sacrificium est peccatū et peccati expiatio. Baptismus est sanctificatio vel purificatio peccatorúm ue ablutio. At quomodo hæ loquutiones in ecclesia Dei semper fuerint expositæ, nemo nescit, nisi qui prima theologiæ rudimenta nescit. Appellata est ergo Circuncisio symbolum, signū vel sigillum fœderis, Agnus memoraculum & figura transitus. Sacrificia vero fuerunt memoriæ peccatorū et significabāt Christū aliquādo imolandū, sicuti et Baptismus vocatur sacramentū purificationis nostræ. Cū ergo oēs sacramentales loquutiones parē ferāt ac habeāt expositionē, quid prohibeat obsecro panem et vinū, quæ tradidit in Cœna sua dominus, sacramenta nuncupare vel symbola et signa corporis et sanguinis domini, atq; adeo sententiā domini sacramētalē, Hoc est corpus meū, sacramētaliter interpretari et dicere, Hoc significat corpus meū, vel hoc est sacramētū mei corporis? Maximè cū Lucas Cœnam agni paschalis præmiserit Cœnæ dominicæ, vt similitudine mysteriorum expensa, tranquillioribus animis accederemus ad cōmunionem mysteriorum. Neq; dubiū est apostolos ob hanc domini loquutionē, Accipite, edite, hoc est corpus meū, minus fuisse solicitos, quod assueuissent loquutionib. mysticis, et iāiā audiuissent, Agnus est trāsitus. Alioq; legimus apostolos aliâs sæpe interrogauisse dñm,

Hebr. 10.

cum non probe intellexissent quod dixerat, aut obscuriore aliquo loquutionis genere fuerat vsus. In præsenti autem nihil prorsus interrogant, proculdubio quod cognitæ ipsis essent loquutiones sacramentales.

His opponunt illi nostri, Egregiam verò interpretationem allatam esse, vt quæ in Cœna fidelibus nihil relinquat manducandum, quàm significationem. Cum enim dixerit Dominus, Accipite, edite, hoc est corpus meum, & nos interpretemur, Hoc est signum corporis mei, consequi fideles edere signum vel significationem corporis Christi. Cæterum quis non agnoscat paralogismum? Sed & dudum diximus in sacramento quolibet non modo signum spectari, sed et rem signatam: & signum quidem percipi ab omnibus ore corporeo, rem verò significatam fideles sumere mente vel animo. Beatus Moses apertè vocat Circuncisionem signum. Quis verò inde colligebat circũcisionem accipientes nihil nisi signũ accipere? Quia enim non prophanum, sed fœderis diuini signum erat Circuncisio, ea de causa fœdus offerebatur circuncisione & obsignabantur in fœdere circuncisionem accipientes. Ita cum panis & vinum sint symbola corporis Christi traditi & sanguinis effusi, consequitur sanè corpus vere esse traditum & sanguinem effusum, & quidem traditum & effusum pro nobis, certè vt manducantes & bibentes illa spiritualiter, in hoc mysterio, vitam ex ijs hauriamus, & non vt inanem vmbratilémue duntaxat rerum nihil nobis vtiliũ significationem habeamus.

Verba poculi — Quid verò dicunt antagonistæ nostri ad verba poculi

tuli sacri? Matthæus & Marcus habent: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur, &c. Lucas verò & Paulus habent: Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine. Iam si verbis mordicus inhærendum est nudis, calix vel poculum secundum Matthæum & Marcum erit sanguis. Si dixerint per calicem id esse intelligendum, quod est in calice vinum, dicimus istam interpretationem esse tropicam. Rigidè ergo verbis Domini insistentes, non desinemus clamare, quicquid tandem nobis opponatur: Verba Domini diserta sunt, Dominus dicit: Hic est, Hic est, ergò est. Et loquitur quidem de calice, ergo calix est Christi sanguis. Non potest non verum esse, quod pronunciat os Domini. Nisi ergo fraudari voluerint aduersarij nostri fructu sanguinis Christi, cogentur deuorare ipsum etiā calicem, quacunq; id ratione efficere poßint. Præterea si adhuc perrexerint auersari loquutiones tropicas, fateri cogentur poculum, iuxta Lucam & Paulum, esse testamentum, & quidem nouum testamentum, adeoq; poculum magis esse in sanguine, quàm sanguinem in poculo. Adiguntur ergo, velint nolint, verba Domini non ad literam rigidè restringere, sed sensu potius sancto explicare: Quod quemadmodum panis est symbolum traditi corporis, ita poculum vel vinum potius, est sacramentum effusi cruoris Christi, idq; ad dedicationem vel confirmationem noui testamenti, quo confertur credentibus plenaria omnium peccatorum remißio & vita sempiterna.

Collatio locorum.

His accedunt conferēda et illa Domini Christi verba

quæ in illa ipsa Cœna & sub Cœnā et in itinere ad montem oliuarū, idem Dominus eodem suo ore, quo illa, Hoc est corpus meum, etiā hæc pronunciauit: Ab initio hæc nō dixi vobis, quia vobiscum eram: nunc autē vado ad eum, qui me misit. Et iterū, Ego veritatem dico vobis, expedit vobis, vt ego vadā. Si enim nō abiero consolator nō veniet ad vos, etc. Rursus, Exiui à patre, & veni in mundū, iterū relinquo mundū et vado ad patrē. Item, Et posthac nō sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Et reliqua huius generis multa, quæ nō minus diserta & clara sunt, sed & verba Cœnæ Domini sunt, quàm illa, Hoc est corpus meum. Quinimò totus ille sermo, quem Ioannes integris aliquot à 14. capite capitibus describit, huc bona sui parte spectat, vt intelligat, cum sanctis apostolis, uniuersa Christi Ecclesia, fideles posthac non amplius habituros Christum Dominum corporaliter præsentem. Nam ascensurum in cœlum, & inde missurum spiritum sanctum, per quem ipse adesse ecclesiæ ipsamq́ inspirare, viuificare & gubernare velit. Quæ quidem omnia, vt minimè figurata sunt, sed plana vel aperta, ita nullum habebunt vel locum vel fructum si Christus corporaliter adhuc versatur in medio Ecclesiæ, latitans in pane, aut sub specie panis.

Ioan. cap. 6. Adducimus præterea memorabilem illum Domini sermonem, quem ante mysticam cœnam institutam, in synagoga Capernaum habuit, quo significantissimè & diligentissimè ostendit, se esse panem vitæ, ac carnem se suam & sanguinem suum impensurum in mortem, vt

ex his viuant fideles: vbi & modum manducandæ carnis suæ, bibendiq; sanguinis sui, & vitam morte partam consequendi luculenter exposuit, nimirum quod ille vitam illam suam nobis per spiritum suum inspirat: nos autem hāc percipimus per veram ac viuam fidem: refutatis interim illis, qui audito figurato sermone Domini, imaginabantur carnem Domini corporaliter esse manducandam. Id quod nihil prodesse dicit, ac protinus subiungit: Spiritus est qui viuificat. Et verba quæ loquutus sum vobis, spiritus sunt & vita.

Porrò cum hactenus non sententias duntaxat aliquot, sed integros Domini sermones adduximus, quibus ipse Dominus corporalem & præsentiam & manducationem corporis sui refutat, an non æquum est, vt hæc conferantur cum his Domini verbis, Hoc est corpus meum, & pauciora per plura illustrentur? Est sanè celebris receptus vetus, & cum ipsa Christi ecclesia veluti natus interpretandi scripturas canon, cuius meminit Tertullianus contra Praxeam, personas in adoranda Trinitate confundentem, ac pro se, cerebrose admodum, hæc Domini diserta verba adducentem vrgentemq;: Philippe qui vidit me, vidit patrem. Ego & pater vnum sumus. Ego in patre, & pater in me. Dicit autem Tertullianus, His tribus capitulis totum instrumentū vtriusq; testamenti volunt (Praxeani et omnes Noetiani et Patripaßiani) cedere, cū oporteat secundum plura, intelligi pauciora. Et reliqua, quæ ne acerbior videar, non adycio. Intelligunt autem pij omnes, non vnum aliquem locum ex scripturis

Pauca per plura exponenda.

morose esse vrgendum, verùm scripturas scripturis esse conferendas, ac pauciora aut etiam dubia secundum plura clarioráque esse interpretanda. Proinde aduersarij illi nostri frustra nobis subinde occinunt vnicam (absit verbo calumnia) & figuratam vel sacramentalem sententiam, veluti propriam, quam deprehendimus collatione aliorum scripturæ locorum & quidē clariorum de eodem Christi corpore, ab eodem quoq; Christo Domino pronunciatorum, sic illustratam & explicatam esse, vt, quod dici solet, à lasso rixam quærere videantur, quotquot coccycis in morem identidem nobis occinuerint illud suum, Hoc est corpus meū. Condonabūt mihi lectores, si videar loqui audacius. De peruicatia loquor aduersariorū, verba ipsa Domini nihilominus colo religiosissimè. Nam vel vnicam syllabam, nedum verbum aut sententiam verborum Domini, legitimè tamē vsurpatam, & à natiuo suo sensu non detortam, agnosco summa demissione & reuerentia esse excipiendam ab hominibus, eiq; absque omni dijudicatione credendum. Si verò aduersarij pro sua morositate perrexerint nobis obiectare vnicam illam sententiam, non desinemus & nos illis strenuè opponere integros Domini sermones, quibus luce clarius exposuit, quomodo suæ Ecclesiæ adesse perpetuò, & quomodo carnem suam edi, sanguinemq; suum bibi tunc voluerit, et velit adhuc.

Nulla expositio recipienda quæ pugnat cum fide.

Subiungimus his alium & vulgarem quidem illum, ab omnibus denique omnium sæculorum pijs receptum scripturas interpretandi canonem, Contra fidem

&

& charitatem, nullam vnquam à quoquam recipiendam esse interpretationem. Oportere enim imprimis regulam fidei nostræ manere incolumem. Vetat certè Apostolus aliquid alienum à proportione fidei proferre. Notißima sunt quæ idē ille affert de charitate 1. Cor. 13. unde proculdubio sua illa mutuauit, quæ Augustinus edidit 1. lib. de Doct. Christ. cap. 36. Sed & elegantia & vera sunt semper iudicata hæc vetustißimi illius scriptoris verba: Quæramus in nostro, & à nostris, & de nostro. In quo? duntaxat quod salua regula fidei potest in quæstionem deuenire. Quis autem ignoret non postremum in fidei capitibus illud esse, quod credimus consensu totius scripturæ edocti, Christum Dominum in vna inseparabili persona geminam retinere naturam, naturarumq́; proprietates illæsas atq; impermixtas, & quidem iuxta diuinitatem patri, iuxta humanitatem nobis esse consubstantialem, Deum vtique verum ex Deo vero, & hominem verum ex homine vero. Constat itaque Iesum Christum Dominum nostrum verū & naturale, non phantasticum aut spiritale corpus habere, illud ipsum inquā, quod à nobis assumpsit, quod in mortem tradidit, quod ex mortuis excitauit, cui quidē immortalitatem & gloriā addidit, naturam veritatemq́; corporis non abstulit, atq; hoc ipsum cœlo intulit, & ad dexteram patris collocauit, vnde in eadē illa carnis forma atque substantia, redibit iudicaturus viuos & mortuos.

Porrò hæc humani corporis in Christo veritas, nunquam admittit huiusmodi expositionem horū verborū,

Hoc est corpus meũ, quales vulgò cõfingi solent, Hoc est corpus meũ substantialiter, et tamen inuisibiliter. Nam vt nõ repetã, quod superius dixi, huiusmodi voces semet ipsas elidere, constat certè Dominũ hisce verbis, Hoc est corpus meũ, de vero & naturali, visibili et paßibili suo locutum esse corpore. Inuisibile corpus affinxit Domino Martion et tota illa infelix Valentinianorũ schola, quæ eam ipsam ob causam ab vniuersali exibilata et explosa est ecclesia. Ergo cũ Dominus verũ, naturale & visibile corpus habuerit, quo ad mensam aßidens, discipulis porrecto pane, dixit: Accipite, edite, Hoc est corpus meũ, quis non intelligat sacramentũ vel mysterium ipsis ac nobis esse cõmendatum, non autem verũ illud corpus naturale ore corporeo manducandum esse oblatum, idq; inuisibiliter. Etenim nõ licet per religionis syncere integritatem, Christum fingere bicorporem: licet autem fide sic nos vrgente intelligere Christum nobis veri & unici illius sui corporis commendasse spiritualem manducationem. Quod ergo beatus Augustinus alibi vocibus visibile et inuisibile, in hac causa vtitur, alia longè ratione, quã vulgò fiat, vtitur. Significat enim illi visibile, quod nobis est sacramentale: inuisibile, quod est spirituale. Nõ dißimulabo in præsentiarum et hoc, quod antagonistæ nostri hic nobis opponunt, hac ex eodem S. Augustino ex Enarr. Psal. 33. verba: Quis portatur manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. De Dauide ergo hoc non intelligitur, sed de Christo. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quãdo commendans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meũ. Ferebatur enim illud corpus in

Christus suis ferebatur manibus.

manibus suis. Cæterũ nõ affinxit his verbis beatus Augu-
gust. Domino nostro duo corpora, quorũ alterũ fuerit visibile, illud videlicet quod aßidebat mensæ: alterũ inuisibile, quod scilicet offerebat edendũ discipulis, verũ intellexit dominũ nostrũ vero suo corpore, illud (obseruate mihi hanc emphasim) illud inquã corpus, nimirũ quod ratione sacramẽtaria appellatur corpus, ꝓpter similitudinẽ mutuato ueri corporis nomine, discipulis obtulisse. Nã ipse cõcione sequenti, semetipsum explicãs, subijcit: Quomodo ferebatur in manib. suis? Quia cũ cõmendaret ipsum corpus suũ et sanguinẽ suũ, accepit in manus suas quod norũt fideles, et ipse se portabat quodãmodo, cũ diceret, Hoc est corpus meũ. Tantũ Aug. q posterioribus verbis manifestè declarauit se nõ sentire ipsum corpus Christi naturale, Christũ ipsum corpore suo naturali porrexisse discipulis, sed hoc quod norũt fideles, nimirũ sacramentũ vel mysteriũ. Sequitur enim, Et ipse se portabat quodãmodo, dum diceret, Hoc est corpus meũ. En quodammodo, inquit, nimirũ modo sacramẽtis proprio.

Certè cũ Deus humanã naturã, quam semel assumpsit, nunquã (sicuti rectè sentiunt omnes catholici) deposuit, manet certè inuiolata et integra veritas humanæ naturæ, etiam post vnionem cum natura diuina, etiam post resurrectionẽ & glorificationem, ideoq́ neutiquã sinit illa se extendi per vbiquitatem, vt vocant, ad omnia, vt nihil necesse sit urgere nos, omnibus & singulis credendum esse in pane cœnæ quolibet & in qualibet eius vel minutißima particula contineri ipsum Domini corpus verè & substantialiter. Quod nisi ad

eum quem illi nobis modū præscribunt, doceamus, nunquam syncerè & dilucidè ostensuros fidelibus, quomodo totus Christus indiuisus sit cibus fidelium. Superius enim dilucidè satis exposuimus, quomodo totus Christus percipiatur verè à fidelibus. Id ipsum olim pluribus exposuimus in Responsione nostra D. Luthero viuenti adhuc data.

Veterum expositio, Hoc est corpus meum.

Postremò affirmamus vetustatem agnouisse hanc nostrā verborum Domini expositionē, & eandē concordibus posteritati scriptis reliquisse. Appellarunt sanè omnes vnanimiter panē Domini ipsum Domini corpus, et poculū vel vinum in calice ipsum Domini cruorem: id quod in scriptis veterū vbiq; sit obuium: sed monuerunt interim sedulò ista esse sacramenta, sacra nimirum rerum sanctißimarū & salutarium signa: signa autē pro rebus ipsis non esse accipienda, & signa appellari rerum signatarū nominibus. Notißima sunt omnibus, quæ de hac re scripsit diuus Aur. Augustin. in suis epistolis et in lib. de Doct. Christ. et in alijs locis multis. Quod enim aduersarij nostri cōtendunt August. ibi de alijs, nescio quib. signis disputare, nō de signis corporis et sanguinis Dñi, refellitur ipso cōtextu orationis beati August. qui cū in genere dixisset de signis, speciatim etiā defertur ad signa noui test. et ad ipsa sacramēta corporis et sanguinis Dñi. Inspiciatur diligēter lib. de Doct. Christ. à ca. 5. vsq; ad 11. Neq; dubiū est, quin in libris illis de Doct. Christ. non suā modò opinionē et expositionē de sacramētis attulerit, sed receptā potius et orthodoxā totius catholicæ ecclesiæ sententiā et expositionē reddiderit. Certè Tertull.

qui

qui 200. nimirũ annis Augustinũ præcessit, cũ et ipse esset Aphricanarũ ecclesiarũ presbyter, sicuti ille creabatur episcopus, non alienam affert expositionem. Nam disputans contra Martionẽ, Christus acceptũ panẽ, inqt et distributũ discipulis, corpus suũ illũ fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Agit aũt Tertull. cum Martione ex manifestis. Manifestissimum & ab omnibus in ecclesia confessum erat, panem esse figurã corporis Christi. Ex manifestissimis itaq; sic colligit Tertull. Rei phantasticæ non est figura. Significat enim figura rem veram: atqui hoc sacramentum est figura corporis Christi, ergo Christus verum, non phantasticum corpus habet. Tertullianum imò ecclesiasticã expositionem reddiderunt postea concorditer Græcarũ & Latinarum ecclesiarum doctores. An non Chrysostomus huc allusisse videtur, cũ hæc domini verba tractans, Hoc est corpus meum, inter cætera dicit, Si mortuus Iesus non est, cuius obsecro signum aut symbolum hoc sacrificium est? Hieronymus quoq; dicit verba domini explicans, dominum in mysterio sui corporis veritatem repræsentare. Augustinus enarrans Psalmum 3. insistit verbis illis vetustis, ac asserit dominum ei adhibuisse Iudam conuiuio, in quo corporis & sanguinis sui figuram suis commendarit tradideritq; discipulis. Qui & alibi signi significationisq; vtitur vocabulis: veluti cum alibi, Non dubitauit, inquit, dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui. Vbi etiam hasce loquutiones, Sanguis est anima, & Petra est Christus, cum illa, Hoc est corpus meum, cõfert:

& alibi disertè ait, Illud appellatur anima quod significat animam. Solet autem res quæ significat, eius rei nomine, quàm significat, nuncupari. Hinc est quod dictũ est, Petra erat Christus. Non enim dixit, Petra significat Christũ, sed tanquã hoc esset, quod vtiq; per substãtiam hoc non erat, sed per significationem. Et reliqua quæ leguntur lib. quæst. 3. in Leuit. quæst. 57. Huc pertinet & Theodoreti expositio, quã Anglicæ disputationes doctiss. & pijssime abunde nobis vendicarunt.

Ex his verò omnibus nulla difficultate, omnibus, nulla contentionis morbo laborantibus, patere arbitror, nos neq; verba solennia Cœnæ Domini, Hoc est corpus meum, corrumpere, neq; hæreticã, nuperam & à nobis excogitatam expositionem afferre, sed orthodoxam veterem & receptam in catholica ecclesia vsurpare.

Verba Domini Ioan. 6. non uiolenter torqueri ad causam Cœnæ Domini.

In his verò quæ hactenus pro nobis adduximus de sancta & legitima expositione verborum domini, Hoc est corpus meum, pleraq; arrodunt aduersarij nostri, illud imprimis quod in explicanda Cœnæ domini causa, verba domini ante Cœnam institutam dicta à domino. & Ioan. 6. cap. recitata, proferimus, ijsq; aduersarios vrgere nõ desinimus. Itaq; Sacramẽtarij, inquiũt, cõmiscẽt omnia, vt detrahant sacramentis. Fidei ita tribuũt communionem cũ Christo, & peccatorum remissionem et salutem, vt illa sacramentis adimant. Ac adducẽdo ad Cœnam domini verba Ioan. 6. insulsissime pariter & indoctissime faciunt, nebulones perditissimi. Quid oro dicitis

dicitis fratres? Nebulones ne perditißimi sunt, qui verba dñi Ioan. 6. cap. recitata, accõmodant negotio Cœnæ domini? Videte amici quid dicatis, et quos appelletis nebulones perditos. Cõstat enim nos morem illũ habere cõmunem cum veteri ecclesia & præcipuis ecclesiæ doctoribus. Non oportebat doctores ecclesiarum tam faciles esse ad maledicendum ac conuiciandum. Neq; verò vllas nos cuiquam nebulas errorum offundimus. Perspicuè & significanter vera & pura dicere & scribere conamur, nebulones ergo aut tenebriones non sumus.

Quid verò hic nobis obijciunt aduersarij nostri? An putant nos errare qui ita tribuamus peccatorũ remissionem fidei, vt adimamus sacramentis? Quid audio? Vós ne tribuitis iustificationem sacramentis? Vbi ergo illud axioma confessum & pro indubitato iure habitũ ab omnibus, Sola fide iustificatur peccator per Christũ? Certè vt hæc veritas euangelica & apostolica inuiolata subsistat, & incontaminata permaneat perpetuò, nõ dubitant pijßimi quiq; nullo modo in participatum iustificationis admittere etiam verè bona opera. Nunc si rectè antagonistas nostros intelligimus in participationem iustificationis infulciunt sacramenta, quorum perceptioni tribuunt remißionem peccatorum, quæ reuera est iustificatio. Credidit Abraham Deo, & id ipsi imputatum est ad iustitiam: inde verò idem circuncisus est, quo opere iustificatus non est, sed signaculum accepit iustitiæ fidei, quæ erat in eius præputio. Disputauit & Augustinus egregie de eo, quatenus sanctificent sacramẽta, quæst. in Leuit. 83. quæ qui-

Fides iustificat.

niam omnibus sunt notißima repetere supersedeo.

Ioan. 6. cap. rectè applicatur Cœnæ.

Cur verò non adduceremus verba Saluatoris nostri ex cap. 6. Ioan. cum disserimus de vera manducatione corporis Christi? Christus enim vnum duntaxat habet corpus, quod nunquam mutauit aut deposuit, licet clarificauerit. De hoc ipso suo corpore in mortem tradendo loquitur Ioan. 6. De eodem dicit, Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc corpus iubet edere apud Matthæum in cap. 26. Illud ipsum nisi edamus, nullam in nobis vitam habituros asseuerat apud Ioan. in cap. 6. vt autem apud Matth. addit, Hoc facite in mei memoriã: ita in Ioãne modũ manducãdæ carnis suæ, & quidẽ ad vitã explicat ac disertè dicit, Spiritus est qui viuificat: caro non prodest quicquam. Quod ergo semel, & tunc quidem cũ ex professo dissereret de vera corporis sui mãducatione & sanguinis sui potu, negauit corporaliter haustum prodesse, id alibi veluti oblitus sui ipsius, minimè instituisse credendum est, qui certißimè nihil suis instituit, nisi vtilitate & salute refertißimum. Ergo nihil differũt hi loci, nisi quod apud Matthæum adycit symbola. Vnde ingenuè agnoscimus vocabulum Panis, apud Ioannem non significare panem eucharistiæ: qui cum illa Capernaum diceret dominus, nondum fuerat institutus, sed cibum ac sustentationem animæ viuificam. Agnoscimus idem panis vocabulũ apud Matth. in 26. significare panem, vt vocant, materialem, qui institutione & sanctificatione domini factus sit sacramẽtum eius carnis, de quo loquitur vtrobiq; & Matth. 26. & Ioan. 6. Illic ergo adycitur à domino symbolum,

quo

quo multi quidem participant, Christo item carne vitaq́ eius non item, vt Ioan. 6. docuit participant. Cum autem aduersarij nostri pertinaciter contendant impijssimumimpurißimumq́ quemuis sacramento participantem, pariter & vera carne Christi etiam corporaliter participare, videant ne ipsi inter sese distinguenda religiose, parum decenter & piè commisceant atque confundant.

Nihil autem etiam hic variamus à vetustis interpretibus. Augustinus enim de Consensu euangel. verba Cœnæ domini in concordiam redigens, Ioannes, inquit, de corpore & sanguine domini, hoc loco nihil dixit, sed planè alibi multò vberius hinc dominũ loquutum esse testatur. Ac videmus non hunc solum, sed alios quoq; scripturarum interpretes Græcæ & Latinæ ecclesiæ doctores omnes, quotquot caput hoc Ioan. 6. exponunt, fuse & diligenter de Sacramento scribere Cœnæ.

Porrò de Capernaitis non est quod nobis litem moueant, Capernaitæ existimarunt se veram carnem domini manducare oportere. Sciunt etiam fideles non aliũ esse cibum viuificum quàm veram domini carnem. Sed in modo & ratione manducationis hi ab illis permultum differunt. Quod enim Capernaitæ corporaliter vel carnaliter faciendum putarunt, nos cum omnibus catholicis spiritualiter fieri statuimus. Claret itaq; nos non abuti verbis domini Ioan. 6. pronunciatis, neq; ipsa impiè detorquere ad negotium Cœnæ dominicæ. Capernaitæ

Corporalem corporis Christi præsentiam & manducationem non congruere cum uera fide.

Atq; hic adhuc grauius irascuntur nobis aduersarij, quod videlicet negamus corporalē veri corporis Christi præsentiam & manducationem congruere cum vera fide: deniq; quod negamus in tot veterum symbolis quicquam hac de re esse expressum. Quinimo mirantur nos ista contra ipsos proferre. At nos omnino existimamus merito magnisq; de causis et opportunè, suoq; quod dici solet in loco, proferre. Nam cum aduersarij nostri omnes homines, ex hac carnali manducatione æstimēt, ita vt parum Christianos iudicent, qui in hoc ipsis non accedunt, tametsi per cætera rectè sentiant, mirum sanè videri poterat, si & vetus Ecclesia sic animata fuit, qui factum sit, quod istius carnalis præsentiæ & manducationis nullibi disertè meminerit.

Ephesina synodus de esu carnis Christi.

Excipiunt, in Ephesina Synodo disertè satis expressam esse veram carnis Christi manducationem. Sæpe verò diximus, sæpe repetimus, nos nūquam negasse veram carnis Christi manducationem, quam nobis tradunt sacræ literæ & scripta puriora veterum: negare aūt illam præsentiam & manducationem, quæ conflata est ex hominum placitis. Ea non est spiritualis, neq; etiam crasse carnalis, sed mixtum quid ex vtroque, vt intelligamus verū quidem carnē delitescere sub specie panis, ita tamen ne crassum modum imaginemur, sed spirituale quid, quod nihilominus corporale sit, adeoq; quod

quod mirificum & ineffabile sit, credamus. Eum verò modum scriptura nescit. De eo nihil statuit Ephesina Synodus. Dudum aduersarijs nostris responsum est, Cyrillum illa conscripsisse contra Nestorium, qui ponebat in Christo personam humanam, à persona filij Dei prorsus discretam atque seiunctam, vt non intercederet alia coniunctionis ratio, quàm dignitatis. Contra illum argumentatur Cyrillus à natura sacramentorum, ad hunc modũ, Si caro Christi ita separata esset, à persona diuina, vt sentis, consequeretur illam non esse viuificam: cúmque nos comedamus in sacramentis carnẽ Christi, ederemus hominis carnem vtcunq; sanctificati & excellentis. Sed inde iuxta promissionem non consequeremur vitam æternam. Quod cum falsissimum sit, falsum id esse necesse est, ex quo illud sequitur. Verũ de hac re copiosius disseruerũt alij. Primus omnium quod ego sciam in symbolum infarsit corporalem illam opinionem, definita trãsubstantiatione Innocentius eius nominis tertius, quod in Concilio Lateranen. cõceptum, postea quam latissimè sparsum est per Decretales. Atque vtinam expurgassent se hic aduersarij nostri syncere ab omni fermento Papistico. Etenim mihi non videtur satis esse negare transsubstantiationem, & retinere interim illam ipsam rei substantiam, de qua isti potissimum sunt soliciti, vt scilicet retineatur corporalis præsentia & manducatio. De qua interim etiam ipsi sic se et suam opinionem declarãt, vt nolint videri se huiusmodi tueri præsentiam, quæ quã- Transsubstantiatio.

titatiua vel localis sit. De qua re nunc non disseram operosius.

Cæterum quæ adducimus de veritate veri corporis Christi, antagonistæ nostri mirificis atq; adeo tragicis explodunt cachinnis atq; clamoribus. Hæc quidem dictat philosophia, inquiunt, sed alia docet theologia. Philosophica est ratio, cum dicitur Christi corpus esse in vno loco, in pluribus esse non posse. Addũt, Fædum est autem Christi corpus in cœlo veluti loco alligare. Paulus scribit Christum ascendisse supra omnes cœlos: & cœlos penetrasse: & altiorem cœlis factum esse. Addunt præterea, Sed nullus locus est extra et supra omnes cœlos. Itaq; vel negabunt Sacramentarij elatum esse Christum supra omnes cœlos, cum ibi non sit locus, vel nõ negabunt. Ita verò admittunt corpus Christi esse sine loco. Et iterum, Quinimo cur non iubeamus, inquiunt, secedere pondus & molem corporis, domino pascente conuiuas suos in sacra cœna? Cur nõ nitamur omnipotentia Dei? Cur non discernimus corpus Christi coniunctum diuinitati ab alijs corporibus physicis, vt tamen non auferamus veritatem corporis: vtcunq; iudicetur contra eius naturam, vt secedant ab eo locus quantitas & circumscriptio localis pondus item & huiusmodi? Habet enim corpus Christi vnitum diuinitati suas prærogatiuas adeoq; alienas à corpore conditiones. Nec potest dissolui personæ vnitas. Scriptura dicit, Verbum caro factum est. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis, qui est in cœlo. Item, Sedet ad dexteram patris. Ideoq; nihil prohibet asserere Christi verum

corpus

corpus esse vbiq;. Quibus omnibus mox hæc ab illis infertur censura, Ergo quæ Sacramentarij in hoc genere adferunt, curiosæ & perplexæ sunt quæstiones, plenæ absurditatibus & blasphemijs, stultæ rationis argutiæ & mera ludibria.

Atrocia quidem hæc sunt, sed nondum tamen ea, quæ de veritate corporis Christi adduximus, subruerunt. Dudum obiecta est nobis omnipotentia Dei. Dudũ respondimus ex omnipotentia Dei non colligi quidlibet. Nã verbũ Dei modũ nobis omnipotentiæ Dei ostendit, & ait: Omnia quæcunq; voluit fecit. Vnde Tertull. Erit aliquid et difficile Deo, inquit, id scilicet quodcũq; non fecerit, non quia nõ potuerit, sed quia noluerit. Sed & Theodoretus in Polymorpho suo, Dial. 3. Dñs Deus, inquit, nihil vult eorũ, quæ non sibi suaptè natura insunt. Potest aũt quæcunq; vult: vult aũt quæ sunt suæ naturæ apta et conuenientia. Et reliqua quæ ibi fuse de hac causa sequuntur. Omnipotentia Dei.

Dicimus et nos fœdum esse Christi corpus cœlo veluti ergastulo includere, ita vt veluti captus aut affixus alligatusq; loco videatur. Proinde non est quod ista nobis obijciãt, ac huiusmodi imaginationib. loquutionibusq;, quas ipsi confingunt, nos verò planè nõ agnoscimus, nos & nostrã doctrinã reddant omnibus exosam. Non dicimus corpus Christi alligatum esse in cœlo, sed dicimus verè sublatum è terris, in cœlo nunc versari liberè, pro ratione gloriosi corporis, ideoq; corpus eius in cœlo nec stare semper, nec sedere perpetuo, sed prout vult & ratio æternæ salutis et gaudij dictat versari: nec dissimu- Cœlo Christum includere.

lauimus vnquam sedendi & standi vocabulis amplio ra quædã significari. Quibus addimus interim, verum corpus eius, quod cœlo est receptum, non diffundi per omnia, sed cœlo accepto, inde Christũ vero cum corpore expectari à nobis iudicem, in fine demum mũdi rediturũ, in nubibus cœli, ad iudicandum viuos et mortuos. Nec pudet nos eius loquutionis, quam à S. Petro dicente didicimus, Oportet Christũ cœlum accipere, vsq; in tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est Deus per os omnium sanctorum suorum à seculo prophetarum. Nec mirum est ita loquutum esse Petrum, cũ ascẽdente in cœlos domino, ab angelis didicerit ita de corpore Christi glorioso, loqui. Dicebant enim ad apostolos angeli, Viri Galilæi quid statis intuentes in cœlũ? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlũ, sic veniet quẽadmodũ vidistis eum euntem in cœlũ. Ideo vero & Lucas, Recessit ab eis, inquit, ac ferebatur in cœlum. Marcus verò, Dominus, inquit, receptus est in cœlum, & consedit à dexteris Dei. Hæc cũ ita habeant, videant aduersarij nostri, an ipsi ex theologia an philosophia suum illud, Extra cœlum non est locus, hauserint, an hoc ad apostolos Christi, an ad rixatorem Aristotilem referre poßint. Theologia certè quæ est doctrina apostolica, constanter docet Christum dominum nostrum vero suo corpore, non disparuisse aut inuisibilẽ factum esse, ascendisse & tamen hic corporaliter manere, sed elatum esse corpore suo in cœlum, assumptum aut receptum esse verè in cœlum, nube illum suscipiente, & apostolis ipsis in cœlum defixis oculis animisq; desiderio plenis ipsum consequentibus. Aduersarij illi nostri ita

Extra cœlũ non est locus.

Ascensio Christi in cœlos non est disparitio.

loquuntur de assumptione vel ascensione corporis Christi in cœlum, quasi nihil aliud sit quam disparitio, vt sic dicam quædam, qua se tantum inuisibilē nobis reddiderit, vel quasi perruptis omnibus cœlis, euaserit in nescio quam regionem vbiqualem et illocabilem, in qua qui sunt, in loco nullo sunt ac simul vbique sunt. Mira profectò hæc est theologia: mirum sanè cœlum ostendit nobis pulcher ille canon scripturas de cœlo interpretandi, Extra cœlum non est locus.

Christus ascendit supra omnes cœlos.

Agnoscimus quidem apostoli verba testificantis, Qui descendit idem ille est, qui etiam ascendit supra omnes cœlos, vt impleret omnia: sed non agnoscimus vbiqualem & philosophicam illam expositionem, Christum ascendisse ad nullum locum vel ad vbique. Nam certum est apostolum noluisse Christum extra cœlum collocare, sed vsum esse potius amplificatione, qua significaret domini corpus, superatis cœlis, in ipsum cœlum beatorum sedem nimirum in supremam gloriā esse receptum, quod prius quidem deiectū fuerat ad ignominiā extremam. Etenim opposuit sibi inuicem apostolus diuersa membra, nempe in infimas partes terræ descendere, & supra omnes cœlos ascendere. Quis verò collegerit hunc in modum, Christus in infimas partes terræ descendit, ergo in habitata regione nullū locū habuit. Omnes enim intelligunt apostolum hoc loquutionis genere significare voluisse, verum in terras dn̄i aduentū, & deiectionem eius humillimam. Quis ergo iam ex opposito non intelligat hac loquutione, Ascendit supra omnes cœlos, nihil aliud dicere voluisse apostolū, quàm

quod ad Philippen. scriptum reliquit, Extulit illum in summam sublimitatem.

Non oportet id quod apostolus certa quadã ratione protulit, ita morose vrgere, quasi dicere voluerit, Christũ dñm ita supra omnes cœlos ascendisse vt iã necessariò in nullo sit cœlo, sed vbiq;. Commemorat alicubi Origenes fuisse aliquando in ecclesia homines, nimiũ addictos literæ (fortaßis et philosophiæ) qui quod Dauid dixerat, In sole posuit tabernaculũ suũ, huc detorserint, vt non erubuerint docere, quod Saluator noster ascendens è terris in cœlũ, et corpus suũ assumẽs, peruenerit vsq; ad eũ circulũ, qui solis Zona nominatur, & ibi posuisse tabernaculũ corporis sui. Non. n. poßibile fuisse id vltra progredi. Huc scilicet adduxerat illos nimis rigidũ literæ studium, et quod Dauidis locũ neq; illustrarẽt alijs locis, neq; ex materia dicti æstimarent.

Quanquam verò summa illa sublimitas, vel cœlum ipsum, aut cœlestis gloria, maior sit quàm nostra poßit assequi infantia, cœlorũq; secreta discutere nõ sit nostræ infirmitatis neq; hoc curiose facere debeat, sicuti alibi S. August. piè monet, tamẽ credendũ est Christi corpus esse in cœlo, ac cœlũ (quatenus sedes est beatorũ) locũ manere certũ et cõueniẽtẽ gloriosis corporibus. Credo itaq; secundũ meã simplicitatẽ minime philosophicã benedictam et clarificatam Christi carnẽ ascendisse supra omnes cœlos, ingressam aũt in ipsum cœlũ in sedẽ beatorũ in hoc habitare liberè pro ratione corporis gloriosi, non elatũ esse extra cœlũ, vt iã non sit in cœlo, et in vllo loco adeoq; nullibi. Ipse enim ore veraci pronunciauit, et dixit,

August. de fide et symb. cap. 6.

xit, Vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Erunt aũt ministri Dei in cœlo, non extra cælos aut supra cœlos, id est nullibi. Paulus disertè, Nostra, inquit, cõuersatio in cœlis est, unde expectamus Seruatorem nostrum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo glorioso. Non opinor autem nostros existimare corpora fideliũ die vltimo futura immensã, agnoscant ergo et Christi corpus nõ esse immensum, ac desinant fabricare cœlum alienũ ab eo, quod Dominus suis fidelibus parauit, & ipse apertè locum appellauit, dicẽs discipulis suis, In domo patris mei mansiones multæ sunt: quod si secus esset, dixissem vobis, Vado paraturus vobis locum: Et si abiero ad parandum vobis locũ iterum veniam, & assumã vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Veritas certe ipse cœli conditor clarissime pronunciat esse locum, in quo ipse Christus videlicet sit futurus. Secundò enim repetitur nomen loci & dicitur Christus parare suis locum præterea et mãsionem: ac protinus addit, Assumam vos ad meipsum. En assumã, inqt, ad meipsum, non tantũ ad me, sed ad meipsum. Nã alibi quoque dixit, Vbi ego sum, ibi erit et minister meus. Vbi, inquit, & Ibi. Et in præsenti iterũ vbi ego sum, inquit, & vos sitis. En, Vbi, inquit, ego sum, et vos sitis. Est itaq; Christus pro veritate corporis humani in cœlo, vt in loco, sed & nos erimus in cœlo, vt in loco. De qua re paulò pòst plura dicentur.

Nesciuit illa ethnicus & prophanus Aristot. sicuti et cætera ignorauit cœlestia, vt nihil mirũ sit si homo gentilis extra cœlum elatus, vbi fuerit, aut quid dixe-

rit, nescierit, illud magis mirandum videtur, homines theologos huic duci cæco se credere, et afferre quæ parũ cõgruunt cũ certissima spe fideliũ. Interim agnosco ingenue Christũ secundũ naturã diuinam nullo circũscribi vel loco vel cælo, iuxta illud Solomonis, Si cælum et cæli cælorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc quam ædificaui? Sed de hac re sequentur paulò post plura.

Vt impleret omnia.

Cæterũ vrgent aduersarij illud quoq́, quod appẽdit apostolus, Vt impleret omnia. Hanc enim veluti causalẽ et explicationẽ eius appensam esse, quod dixerat Christum ascendisse supra omnes cælos, quia videlicet eã ob causam ascenderit vt omnia vellet sua adimplere præsentia, itaq́ sic in cælos elatũ esse, vt nihilominus inferiora hæc omnia impleat, & vbiq́ præsens sit totus et integer. Cæterum affirmamus etiam nos Christũ sua præsentia implere omnia, sed secundum eam naturã quæ vbiq́ est, nõ secundũ eã quæ vbiq́ non est. Dicimus præterea verbum implendi referre oportere ad ea, quæ de Christo sunt prædicta. Nã paulò ante hæc verba adduxit testimoniũ ex Psalmis, Ascendit in altum, captiuã ducens captiuitatem, dedit dona hominibus. Rursus sicut in 1. cap. huius ad Ephes. epistolæ, ita hic denuo inculcat Christum elatum in cælos, plenitudinem esse omniũ fideliũ. Nã & alibi legimus, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Item, In Christo estis cõpleti.

Remouere quantitatem & locum à corpore Christi.

Si verò seriò arbitrantur aduersarij religiose se remouere à corpore Christi pondus & molem, pascente domini conuiuas suos in Cœna sua, cur obsecro tantopere

re & veluti hæreticam labem in nobis persequuntur, quod cum ipsi faciunt laudi sibi ducunt, & veluti orthodoxum predicant? An verò aliud est remouere à corpore Christi molem et pondus, et aliud asserere Christum quidem adesse ac pascere, sed non corporaliter? Ergo cū etiam vobis iubentibus & vestro exemplo pondus et molē corporis remoueamus, quid ita in nos debacchamini, cur apud ecclesias omnes nos veluti impostores et hæreticos defertis? Videte fratres, videte ne Andabatarū more pugnetis. Habēt oculos qui hæc nostra legūt, habebit et posteritas iudiciū, et fortaßis purgatius ab affectib. prauis, quàm forte nunc multi habeant.

An verò corpus dñi nostri Iesu Christi vere humanū ea de causa alienas à corpore humāo cōditiones sibi sumpserit, quia cōstet ipsum à verbo æterno in utero virginis inseparabili cōiunctione esse assumptū, iā olim orthodoxe, docte et breuiter expositum est à beatæ memoriæ ampliss. pijssimo eruditißimoq́ viro D. Ioach. Vadiano Cos. Sangallen. cū in Epistola quam ad me scripsit, tum in alijs eius libris cōtra Casparē Schuenckfeldiū editis: et sequentur in nostris quoq́ eadem de re aliqua.

Quoniam enim in hac causa aduersarij nostri nos grauißime insectantur & impingunt nobis blasphemias, absurditates, stultæ rationis argutias & mera ludibria, vtpote qui relicta theologia syncera ad philosophiā impurā concesserimus, indeq́ doctrinam nostram fulciamus, sed & alibi Nestorianæ labis suspitione nos premere videantur, paucis & perspicuis cōmemorabo, quam syncere in hac causa sentiamus & doceamus, et

quod nihil noui, nihil philosophici, adeoq; nihil in vniuersum hic proferamus, quod non didicerimus ex scripturis canonicis, & scripturæ consentientibus patribus (hactenus enim ipsorum testimonijs vtimur: alioqui eorum authoritate primi nos non sustinemus) vetustis, cum quibus vti & cum orthodoxa & catholica ecclesia consentimus, quo nomine à bonis viris orthodoxi & catholici, non hæretici Nestoriani ue appellandi sumus.

De utraque in Christo natura inpermixta, in una indiuisa persona.

Christus verus Deus & homo.

Credimus & docemus scripturis sanctis instructi & totius ecclesiæ veteris consensione inducti Christum dominum nostrum Deo patri consubstantialem esse secundum diuinitatem, nobis autem consubstantialē esse secundū humanitatem, vt idem sit et permaneat verus & naturalis Dei & hominis filius, Deus et homo verus. Testimonia diserta, copiosa et irrefragabilia dudum adduximus in libris nostris, vnū et alterū nūc sufficere arbitramur. Ioā. dicit, In principio erat verbū, et verbū erat apud deū, et deus erat verbū. Et verbū caro factū est, et habitauit in nobis. Idē Ioā. in sua canonica. Omnis spiritus, inquit, q confitetur Iesum Christū in carne venisse, ex deo est: & omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex deo non est. Et iterum, Nos sumus in vero, in filio eius Iesu Christo: hic est verus deus & vita æterna. Paulus verò, Cum Iesus Christus, inquit, esset in forma Dei, non rapinā arbitratus est, vt esset æqualis Deo, sed semetipsum ex-

exinaniuit forma serui sumpta, in similitudine hominũ constitutus, et figura repertus vt homo. Addimus istis diuersas illas naturas diuinitatẽ & humanitatem coniunctas esse & vnitas in vna inseparabili persona: ita tamen, vt adhuc in vnitate personæ naturarũ proprietates extent aut permaneant illæsæ, non tollantur aut dispereant, aut confundantur, ex duabus vna duntaxat constituta natura. Agnoscimus enim vnum duntaxat Christum, verum Deum & hominem verum.

Coniunctionis autem vel vnionis huius modum scriptura simpliciter exponit, & dicit: Deus homo factus est. Ioannes enim dicit, Verbum caro factum est. At ne quis suspicetur nos confiteri verbum conuersum esse in carnem, cum orthodoxis huiusmodi expositionem adiungimus, Deus assumpsit hominem vel naturam humanam, manens inconuertibilis. Expositionem autem hanc didicimus ex Apostolo, dicente: Filius Dei nuspiã angelos assumit, sed semen Abrahæ assumit. Dicimus autem carnem verbo, non vt alienam, sed vt propriam vnitam indiuisibiliter: non nescientes, quæ ob hanc rem fuerint inter veteres contentiones. **Coniunctio vel vnio naturarum.**

Quod autem proprietates naturarum impermixtas aut inconfusas retineat Dominus noster, ipsemet Pharisæis ostẽdit testimonio Dauidis ex Psal. 110. apud Matthæum in cap. 22. Isaias quoq; dixit: Ecce virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabunt nomen eius Immanuel, id quod est, nobiscum Deus. Idem propheta: Puer, inquit, natus est nobis, & filius datus est nobis. Micheas quoq; dixit: Ex Bethlehẽ prodibit mihi, qui dominator **Proprietates naturarum integras & illæsas permanere.**

sit in Israele: & exitus eius à seculo, à diebus æternitatis. Sed & Paulus ad Romanos: Vocatus sum, inquit, ad annunciandum Euangelium de filio Dei, qui factus est ei ex semine David, secundum carnem, qui definitus est filius Dei per potentiam, &c.

Vna indiuisa persona.

Ita verò in unitate personæ indiuisus manet Dominus noster, vt ipse Dei filius, cuius generationem nemo enarrauerit, nasci dicatur ex virgine. Nam, Quod ex te nascetur, ait ad virginem angelus, filius Dei vocabitur. Ac nisi fateamur ex virgine Dei filium esse natum, consequetur illam nudum genuisse hominem. Legimus ergo alibi, Dominum gloriæ esse crucifixum. Et Apostolus: Sanguis, inquit, filij Dei emundat nos ab omni peccato. Denique extant huius generis plurima vbique in sacris testimonia. Cæterùm ea loquendi figura appellatur ab alijs ἀλλοίωσις alteratio vel mutatio, à Ioanne Damasceno vocatur ἀντίδοσις, mutua largitio vel alternata attributio. Vulgò dicitur Communicatio idiomatum, nempe cum alteri naturæ ea proprietas communicatur, quæ propria est alterius. Verbi gratia: Nemo ascendit in cœlum, ait Dominus, nisi qui descendit è cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Certè non erat humana natura tunc in cœlo, cum loqueretur ista Dominus, sed erat in terra: quia verò assumpta est caro in societatem vel vnionem diuinitatis, huius proprium, humanitati communicatur. Agnoscit hæc ipse etiam Cyrillus libro de incarnatione vnigeniti, capite 26. Agnoscunt illam expositionem & alij interpretes. Ac copiosius alibi dictum est de

Communicatio idiomatũ

de hisce loquutionibus.

Diligenter verò admonemus, ne quis propter vnionem indiuisam, inter naturas quoq; nõ distinguat easq; confundat. Pulchrè enim Theodoretus Dialog. libro 3. Sciendum est, inquit, quod nominum confusio nõ facit naturarum confusionem. Rursus nemo existimet se dissociare aut dissuere vnitatem personæ, ac ex vna se facere duas, cum cuilibet naturæ proprium illud suum tribuit. Idipsum beatus Athanasius (sicuti & totum negotium, de quo hucusque disseruimus) significantissimè exposuit in symbolo suo, & dixit: Dominus noster Iesus Christus Dei filius Deus & homo est. Deus est ex substantia patris, ante secula genitus: et homo ex substãtia matris, in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens. Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, nõ duo tamẽ, sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omninò non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus. Ab hac similitudine non abhorruit Theodoretus, qui allatis pluribus scripturæ exemplis, hæc illustrat tertio Dialogo, & ait: Naturalem animæ & corporis vnionem non soluimus, sed nec à proprijs corporibus animas separamus, sed ea quæ sunt naturarum propria, consideramus. Quando ergo dicit scriptura: Extulerunt autem Stepha-

Qui propriũ suum suæ cuique naturæ tribuit, personam non diuidit.

num viri pij, & fecerunt planctum magnum super ipsum, dicés ne animam cum corpore esse sepultam? Non opinor. Et quando audieris Iacob patriarcham dicentē: Sepelite me cum patribus meis, intelligis id de corpore, non anima esse dictum. Et mox: Nos rectè distinguimus & dicimus animas esse immortales, sola autem corpora patriarcharum sepulta esse in spelunca duplici. Ita nos quoq; dicere consueuimus: In hoc vel illo loco hic sepultus est: & non dicimus, Corpus huius vel illius, sed hic vel ille. Quicunq; autem sanæ mentis est, scit nos loqui de corpore. Ita cum Euangelistæ toties meminissent corporis Christi sepulti, tandem personæ nomen posuerunt, & dixerunt: Iesum positum esse in monumento. Et reliqua. Beatus quoq; Vigilius martyr diligenter in his explicandis laborans libro contra hæreses 1. manifestissimè ostendit proprietates naturarum distinctas, vnionem personæ nō discindere, vt ideo consequatur duas Christi esse personas, quod duæ in ipso extent distinctæ non confusæ naturæ. Metuendum est, inquit, ne isti qui inanissimo metu vtriusq; naturæ proprietatem iccirco nolunt accipere, ne videantur duos Christos inducere, similiter nobis & de Trinitate quæstionem aliquā moueant, vt quia sunt quædam propria patris, quæ nec ad filium nec ad spiritum sanctū pertineant, & sunt quædam propria filij, quæ nec ad patrem, nec ad spiritū sanctum pertineant: & sunt quædam spiritussancti, quæ nec ad patrem nec filiū pertinere monstrantur, tres à se inuicem separatos, criminentur catholicos colere deos. Et post commonstrata personarum in trinitate propria:

Si

Si ergo, inquit, hæ tres personæ habentes singulæ suas proprietates, quibus significande distinguantur, nõ quibus separentur, vnus est Deus, quomodo filius salua vtriusq; naturæ proprietate, non vnus est Christus? Adijcit, Nam & in homine pleraq; inuenies ita proprietate quadam sequestratius distincta, vt si & ibi calumniari volueris, de vno homine multos facias. Et post longam & euidentem horum declarationẽ, ne doctrinam suam fulcire videretur parabolis, subiungit & ait: Seductorum temeritas, quæ pro numero naturarum diuersitatem ingerit personarum, apostolica est authoritate frangenda & penitus conterenda. Et reliqua, quæ ibi fusius commemorantur ex scripturis.

Non possum hic dissimulare, cum hæc res mirificam lucem huic causæ inferat, Nestorium hæreticum confessum esse duas quidem naturas, sed totidem etiam asseruisse personas. Docebat enim verbum, quod & superius monuimus, carni nõ vnitum esse in eandem personam, sed inhabitasse duntaxat. Vnde & beatam virginem deiparam vel Dei matrem appellari vetabat. Illam carbonariam, quod dici solet, vitare volens Eutyches, incidit in calcariam. Nam constituebat in Christo vnam duntaxat naturam, eamq; ex diuina & humana compositam, id est, confusam. A cuius delirio nõ multum abfuerunt, qui postea appellati sunt, Monothelitæ. Nestorius et Eutyches.

Nestorium grauiter oppugnauit Cyrillus Alexandrinus episcopus, congregata etiam Alexandriæ prouinciali synodo, vnde & tertiam ad Nestorium scripsit epistolam, cui multum celebrata illa duodecim capi Cyrillus oppugnat Nestorium.

ta vnà cum Anathematiſmis adiunxit. Porrò hæc multis ijsq́ grauibus viris, imprimis Ioanni Antiocheno, deinde multis alijs, potiſsimum eius prouinciæ epiſcopis, in quibus erant Achatius Beroënſis annos natus 110. Paulus Emyſenus, Ibas Edeſſenus, & ſapiens ille (vti à Nicephoro & alijs appellatur) Theodoretus Cyrenſis epiſcopus, ſuſpicionem prebuerunt, quaſi Apollinaris errorem, qui diuinitatem cum humanitate confundebat, renouare et confirmare videretur. Inde Theodoretus (qui poſtea vt orthodoxus in Synodo Chalcedonenſi collaudatus eſt) iubente archiepiſcopo ſuo Ioanne, in capita illa Cyrilli ſcripſit: quæ & mox ceu affinia Apollinaris dogmatibus, ab Orientalibus maximè epiſcopis damnata ſunt, approbantibúsque Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano author eorum ſede epiſcopali amotus eſt. Hic verò facta declaratione & apologetico edito ad Orientalium obiectiones, vulgatáque Antitheſi aduerſus Theodoreti reprehenſiones, oſtendit non Apollinaris ſe dogma reparare, ſed Neſtorij eorúmque dogma refellere, qui communem pro nobis hominem ſubijſſe mortem aſſeuerabant. Idcóque in duodecimo anathematiſmo, non vt illi exiſtimabant, cum diceret, verbum Dei carne paſſum, naturæ proprietatem, ſed perſonæ vnitatem ſpectaſſe. Sic enim hanc loquutionem explicat in Antitheſi, & ait: Quando carne dicitur pati, non ipſe in propria natura intelligitur pati: ipſius enim factum eſt vnitum ſibi corpus. Et mox: Aliud eſt, inquit, dicere pati in carne, & aliud ſimpliciter dici pati diui-

Quomodo deus paſſus.

nitatis

nitatis naturam. Quia enim idem Deus simul est ac homo, impaßibilis quidem, quantum ad diuinitatis attinet naturam: paßibilis verò secundum humanitatem. Quid hic absurdi, si dicatur pati in eo, quod pati potest: qui mansit impaßibilis in eo, quod pati non potest. Hac declaratione facta, & apologia Imperatoribus exhibita, non modò reconciliatus est Cyrillus Orientalibus & omnibus pijs, sed & episcopatui suo restitutus. Idem Cyrillus in Ephesina Synodo cap. 13. significantißimè loquens: Sic illum dicimus, ait, & passum esse & resurrexisse, non quia Deus verbum in sua natura sit passus, aut plagas aut clauorum transfixiones, aut alia vulnera susceperit: Deus enim incorporalis extra paßionem est: sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, hoc sustinuit, ideò hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat enim in eo corpore, quod patiebatur Deus, qui pati non poterat. Simili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim & incorruptibile est naturaliter & vita & viuificans Deus verbum: sed quia corpus ipsius proprium, gratia Dei (iuxta Pauli vocem) pro omnibus mortem gustauit, iccircò ipse dicitur mortē pro nobis passus: non quod ipse mortem esset expertus, quantum ad ipsius naturam pertinet (insania enim est hoc vel sentire vel dicere) sed quod, vt diximus, vera caro ipsius mortem gustauit. Tantum Cyrillus.

Et quidem nihil aliud requirebat Theodoretus, nisi vt ad hunc modum significanter & dilucidè sancti viri, quod sentiebant, explicarent. Nam in fine *Significanter loqui.*

operis Dialog.3.sic scriptum reliquit: Qui Deum verbũ carne passum affirmant, rogentur quid sentiant. Et si dicere quidem ausi fuerint, quod corpore afflicto diuina natura dolorem subijt, discant diuinam naturam animæ vsum non implesse. Etenim Deus verbum animam cum corpore susceperat. Sin autem hoc dictum, vt impium & blasphemum auersentur, dicant autem carnem quidem natura esse passam, Deum autem verbum passionem vtpote propriæ carnis, sibi accommodasse, ne perplexas verborum tendiculas tenebrasq; offundant, sed peruersi dicti sententiam, apertè pronuncient. Huic enim interpretationi eos suffragantes habebunt, qui sacram scripturam sequi volunt. Hæc ille.

Eutyches oppugnatus & damnatus.

Porrò Eutychen & Dioscorum vnà cum reliqua Eutychianorum schola cõstanter oppugnarunt Flauianus Constantinopoleos & Leo Romanæ ecclesiæ episcopi. Extant Epistolæ hac de re scriptæ non paucæ inter Leonis epistolas, vt 3. 4. & 5. item insignis illa ad Palæstinos, quæ ordine numeratur 41. itẽ memorabiles duæ ad Leonem Imperat. Coacta est tandem, Martiano imperante, contra Eutychianos œcumenica illa Chalcedonensis Synodus Patrum 636. qui in hanc sententiam concorditer definierunt, Patrum vestigijs insistentes, vnũ atq; eundem profitemur esse filium Dominum nostrum Iesum Christũ, & vna voce omnes depredicamus perfectum eundem in diuinitate, & perfectum eundem in humanitate, Deum verum & hominem verum eundem, ex rationali anima & corpore: consubstantialem patri, secundum diuinitatẽ: cõsubstantialem autem

nobis

nobis, secundum humanitatem, per omnia nobis æqualem, absq; peccato. Ante secula quidem ex patre secundum diuinitatem, in extremis autem diebus eundẽ propter nos et propter nostrã salutem, ex Maria virgine & Dei genitrice secundũ humanitatem genitum, vnũ & eundem Iesum Christum filium & Dominũ vnigenitum, in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indiuise, insegregabiliter cognitum atq; deprædicatũ, haudquaquam naturarum differentiam vnione tollente, sed proprietatem potius vtriusque naturæ conseruante, quæ in personam vnam & subsistentiam vnam concurrit: non veluti in duas personas dispertitum aut diuisum, sed vnum & eundem filium vnigenitum Deum verbum, Dominum nostrum Iesum Christum: quemadmodum antiquitus prophetæ, & ipse de seipso nos docuit Christus, & symbolum patrum nobis tradidit. His igitur cum cura & diligentia omni à nobis constitutis, sancta & vniuersalis Synodus decreuit, vt nemini liceat aliter sentire, aut fidem aliam proferre, vel conscribere, vel componere, vel alios docere.

Pulchrè his consentiunt ecclesiasticæ definitiones, quæ in hunc modum habent: Non pater carnem assumpsit neque spiritussanctus, sed filius tantum, vt qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius: ne filij nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna natiuitate filius. Dei ergo filius factus est hominis filius, natus secundum veritatem naturæ, ex Deo Dei filius, & Definitio ecclesiastica.

secundum veritatem naturæ, ex homine hominis filius: vt veritas geniti, non adoptione, non appellatione, sed in vtraque natiuitate filij nomen nascendo haberet, & esset verus Deus & verus homo vnus filius. Non enim duos Christos, neque duos filios fatemur, sed Deum & hominem vnum filium: quem propterea vnigenitum dicimus, manentem in duabus substantijs, sicut ei naturæ veritas contulit: non confusis naturis neque immixtis, sicut Timothiani volunt, sed societate vnitis. Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiuit: non naturæ versibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam substantiam, assumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in Deum. Quia mutatio vel versibilitas naturæ & diminutionem & abolitionem substantiæ facit.

Paria his scribit per omnia Tertullianus sub finem libri contra Praxeam editi.

Christi Domini corpus diuinitati coniunctum non ubiq; esse, sed in loco.

Est enim hæc definitio de vtraque Christi natura in vna indiuisa persona semper ad hunc modum, quem exposuimus, tradita in Christi Ecclesia, à sanctis omnibus, etiam ante Synodum Chalcedonensem: et post ipsam continuè, sanctissimis & doctissimis quibusq; disertè exprimentibus sanctũ Domini corpus diuinitati adunitũ, propter veritatẽ humanæ naturæ, non vbiq; esse, sed in loco. Adduxerunt quidẽ aduersarij nostri longo catalogo clarorũ nostræ ætatis ministrorũ Ecclesiæ testimonia, quibus

Farrago consentientium.

quibus astruere volunt corpus Christi assumptũ à diuinitate, et sublatũ in cœlos ad dexteram patris, esse vbiq;. Ego verò vt illos, quorũ testimonia adduxerũt, veneror propter eximia ipsis à Domino cõcessa dona, & propter beneficia ecclesiæ præstita, ita sat scio, ipsos qui uiuũt adhuc, pro sua modestia, nõ ægrè laturos, si videãt me hac in causa malle sequi diserta scripturæ diuinæ testimonia et consensum totius ecclesiæ catholicæ, cuius sententiam doctores aliquot insignes significantissimè expresserunt, testificantes Christi corpus non esse vbique, sed pro veritate sua in loco.

Non piget me hic imprimis recitare, & repetendo inculcare omnibus hominibus, nedum aduersarijs nostris, beati Augustini sententiam, vtpote illustrẽ admodum & minimè ancipitẽ. Noli dubitare, inquit ad Dardan. epist. 57. ibi nunc esse hominẽ Christum Iesum, vnde venturus est, memoritérque recole & fideliter tene Christianam confessionem (en appellat Christianam, non hæreticam confessionem) quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram patris: nec aliunde, quàm inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et sic venturus est illa angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbiq; diffusus. Cauendum est enim (obseruate mihi hoc Cauendum est) ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autẽ consequẽs, vt

Christi corpus non vbique.

quod in Deo est, ita sit vbiq;, vt Deus. Nam & de nobis veracissima scriptura dicit, quod in illo viuimus mouemur & sumus: nec tamen sicut ille, vbique sumus: sed aliter homo ille in Deo: quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumq; est vnus Christus Iesus: vbiq; per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo.

De testimonio August. ad Dardanũ

Miserè hic se torquent & luctantur aduersarij, vt hunc locum nobis ex manibus extorsisse videantur: sed frustra. Claritas enim eius omnes sutelas & artes illorum dissipat. Aiunt illum non esse ab August. de cœna Domini scriptum, & ideo nihil facere ad nostrum propositum. At scriptũ esse negare non possunt de vero corpore Christi & eius ingenio. An verò isti aliud quàm verum et naturale Domini corpus contendunt exhiberi in cœna? Si ergo verũ Domini corpus exhibetur in cœna, vt ipsi se explicant et dicunt corporaliter: at veri corporis natura non fert, vt per omnia diffusum sit vbiq;, sed maneat potius locale: rursus autem per innumera loca celebretur domini conuiuium sacrum, dicant nobis obsecro, quomodo ad propositum nostrum nihil faciat hic Augustini locus, aut quomodo uerum & naturale Domini corpus corporaliter exhibeatur & sumatur à cœnantibus? Non habẽt aduersarij, quo se hic explicent, nisi cõcesso nostro illo spirituali et sacramẽtali modo, corporaliq; illo suo modo neglecto atq; præterito. Interim applaudunt sibi & subinde repetunt, sibi probè conuenire cum Augustino, & hunc vicissim consentire cum ipsis.

sis. Scilicet. Vident sanè qui purgatioribus vtuntur oculis, Augustinum miserè ab illis vexari et per crines trahi, nec tamen in consensum compelli posse. Illud verò in hac tractatione minimè dißimulandum videtur, quod illustribus & minimè ambiguis locis Augustini, testimonia eius alia opponunt, & ea quidem petita ex Sermonibus de Tempore & sanctis, & ad fratres in heremo: cum interim ignorare non poßint, quæ sit de his eruditiorum censura. Candorem ergo hic requiro.

Clarißimus eiusdem authoris locus est in eadem epistola: Christum, inquit, Dominum nostrum vnigenitum Dei filium, æqualem patri, eundémque hominis filium, quo maior est pater, & vbique totum præsentem esse non dubites tanquam Deum, & in eodem templo Dei esse tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cœli propter veri corporis modum. Quo dicto nescio si quid instituto nostro aliud poßit vel fingi accommodatius. Christi corpus in loco.

Idem, siue alius quispiā vir pijßimus & doctißi. contra Felicianum Arianum cap. 10. Non ego in Christo, inquit, susceptam carnem perpetuitate diuinæ generationis extendo, nec vniuersam deitatem corporei ortus ætate cōcludo. Quia idem in diuinitate author est rerū, qui in carne redemptor est hominum, idem impaßibilis in se, qui passus in corpore. Et reliqua.

Est alius eiusdem authoris locus vnus & alter in 50, Tract. in Ioan. Quos vtcunque anhelent & satagant, nullo fuco, sicut ne illos quidem adductos ex epist. ad Dardan. obducent, quo minus niteant et clarißimos de

se radios veritatis profundant. Ibi, Secundum præsentiam maiestatis, inquit, semper habemus Christũ, secundum præsentiã carnis rectè dictum est discipulis, Me autem nõ semper habebitis. Habuit enim illũ ecclesia secundum præsentiam paucis diebus: modò fide tenet, oculis non videt. Et idem iterum in eodem Tract. paulò ante alloquens Iudæum, dicentem: Quem tenebo? absentem? quomodo in cælum manum mittam, vt ibi sedentem teneam? Respondet, Fidem mitte & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde. Quoniam Christus absens etiam præsens est. Nisi præsens esset, à nobis teneri non posset, sed quoniam verum est, quod ait: Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi, et abijt, & hic est, et redijt, et nos non diseruit. Corpus enim suũ intulit cælo, maiestatem non abstulit mundo.

Idem Tract. in Ioan. 107. Restat, ait, vt secundum id, quod ipse etiam in mundo prius erat, in mundo se dixerit iam non esse, profectò præsentia corporali, mundo scilicet absentiam suam iam citò futuram, illorum autem tardius, per hoc ostendens, quod se iam non hic esse, illos autem hic esse dixit, cum & ipse hic & illi adhuc essent. Et mox: Et adiecit, Et ego ad te venio, sic exponens quodammodo cur dixerit, Iam non sum in mundo. Cõmendat ergo eos patri, quos corporali præsentia relicturus est.

Ab Augustini expositione nihil dissidet beatus Pater Cyrillus. Nam lib. in Ioan. 6. cap. 14. Etsi Dominus corporis sui præsentiam, inquit, hinc subduxerit, maiestate tamen diuinitatis semper adest.

Idem libro 9. cap. 21. Paruo tempore, ait, vnà cum discipulis fore se Christus ait, non quia penitus ab eis recessurus erat, nobiscum enim est semper vsque ad consummationem seculi, sed quia non erat sicut prius cum eis conuicturus. Propè enim iam tempus erat, vt etiam in cœlos ad patrem abiret. Credere autem oportet fideles, quamuis à nobis corpore absit, virtute tamen sua omnia & nos gubernari, adesséque semper ipsum omnibus, qui eum diligunt. Propterea dicebat: Amen dico vobis, vbicunque sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Nam quemadmodum, quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cœlos implebat & angelorum consortia non relinquebat, eodem nunc modo cum sit in cœlis cum carne, terram tamen replet, & cum eis est qui ipsum diligunt.

Idem lib. 11. cap. 21. Putabant, inquit, discipuli absentiam Christi, vt hominis dico, Deus enim vbique est, multorum eis incommodorum causam futuram, cum non adesset qui ab omnibus eos posset malis eruere. Sed oportebat (dicã enim liberè) si luminaria orbis postea facti sunt, nõ solum in carnem Christi, verùm etiã in deitatem respicere: quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate. Nec quicquam est, quod prohibere posit, quin omnia repleat, & quod velit peragat. Non enim loco aut dimensionibus circumscriptibilis natura diuina est. Quare cum Deus & homo Christus verè sit, oportuit eos intellexisse ineffabili Deitatis potestate vnà cum eis semper

futurum, etiamsi carne abesset. Iccirco enim ipse quoque in superioribus dicebat: Pater sanctè serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: apertè significans deitatis ratione, non carnis præsentia, eos posse seruari: quippe ipsa etiam caro non à se sancta fuit, sed coniunctione verbi ad verbi virtutem quodam modo reformata, salutis atque sanctificationis participantibus causa est. Non ergo carni, vt caro est, operationis diuinæ virtutem, sed naturæ verbi attribuimus. Et cap. 22. Vbique tam deitatis dignitatem, quam conuenientem homini mensuram personæ suæ attribuit. Non enim abiecit neque negat, quod à nobis assumpsit. Item, Discipulis intelligendum relinquit non minus se absentem, quàm præsentem eis salutem allaturum, & qua ratione, cum adesset vt homo, ea etiam absentem seruare posse, &c.

Theodoretus Cyrensis episcopus vir doctiss. & pyssimus tres scripsit Dialogos de Incarnationis Dominicæ Sacramento, quorũ alterũ inscripsit Inconfusum, vtpote in quo euidentißimè & luculẽtißimè demonstrat, humanam naturam licet assumptam à verbo, integram tamen inuiolatamq́ manere, etiam in cœlos sublatam & collocatam ad dexteram patris. Cum enim inter alia Eranistes, id est emendicator (hunc enim inducit loquentem & vndiquaq; colligentem, corradentem aut conquirentem argumenta pro conuertibilitate & confusione naturarum, &c.) obyceret: Postquã in cœlũ assumptus est Dominus, nõ existimo te dicturũ, eum nõ fuisse cõuersum in naturã diuinitatis: inducit Theod. Orthodoxũ respondentẽ et dicentẽ: Ego quidẽ nõ dixerim

dixerim, humanis rationibus persuasus, nec sum adeo audax & temerarius, vt dicam aliquid, quod sacra scriptura silentio præteryt. Sed tamen audiui diuum Paulum clamantem, Statuit Deus diem, in quo iudicaturus est terrarum orbem, in iustitia, per virum, quē præfinyt, fidem præbens omnibus, suscitans è mortuis seipsum. Didici etiam à sanctis angelis, quod veniet eo modo quo viderunt ipsum discipuli euntem in cœlum. Viderunt autem naturam circumscriptam, non eam quæ circumscribi non potest. Audiui autem ipsum etiam dominū dicentem, Videbitis filiū hominis venientē in nubibus cœli. Scio vero esse circumscriptum quod videtur ab hominibus. Videri enim nō potest natura quæ non potest circumscribi. Dominum quoq; dicentem audiui, Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cœli. Porrò autem & sedere in throno gloriæ, et statuere quidem agnos à dextris, hœdos verò à sinistris, id quod circumscriptum est, significat. Et reliqua. Non causabuntur aduersary nostri hæc esse philosophica, quæ videt perspicuis locis scripturæ communita. Debellent itaq; hunc Theodoretum vna cū alys Sanctis quos eis opposuimus, deinde conuertant rursus arma sua contra nos.

Dydimus quoq; Alexandrinus scriptor vetus & confessor Christi constantissimus, in precio, quod mirū tamē videri poterat, apud Iulianum Imperat. habitus, cuius libros de Spiritu sancto vertit è Græca in Latinā, beatus Hieronymus, circumscribi asserit palam creaturas: Non negabūt, opinor, aduersary carnem Christi be

nedictam esse creaturam. Vnde non video quomodo negare possint ipsam esse circumscriptam. Verba Didymi, si quis requirat, hæc sunt: Ipse spiritus sanctus, si vnus de creaturis esset, saltē circumscriptam haberet substantiā, sicut vniuersa quæ facta sunt. Nā etsi nō circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus aūt sanctus cum in pluribus sit, non habet substantiā circūscriptam. Et mox post adducta dñi verba, Accipietis virtutē superuenietis spiritussancti in vos, et eritis mihi testes vsq; ad fines terræ. Si ergo hi in extremis finibus terræ, ob testimoniū dñi constituti, distabant inter se longissimis spacijs, aderat autem eis inhabitator spiritus sanctus, incircumsciptam habēs substantiam, demonstratur angelica virtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippe qui aderat (verbi gratia) Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse alijs, in cæteris partibus mundi constitutis. Et reliqua.

Si verò negāt aduersarij nostri corpus Christi circūscriptibile et locabile esse, pari ratione euacuabūt alteram naturam in Christo, humanā vtiq; quæ veluti absorpta per diuinitatem & iam tota esse deificata, hoc est in naturam diuinitatis conuersà, videri poterat.

Beatus Vigilius martyr et episcopus Tridē. contra omnis generis hæreses, præcipue autem contra Nestorij et Eutychis hæresim doctos, pios & luculentissimos scripsit libros, pro orthodoxa & catholica fide: is libro 4. inter alia disputans contra Eutychianos. Si verbi et carnis vna natura est, inquit, quomodo cum verbū vbiq;

sit,

sit, non vbiq; inueniatur & caro? Nāq; quando in terra fuit, non erat vtiq; in cœlo: et nunc quia in cœlo est, non est vtiq; in terra: et in tantū nō est, vt secūdū ipsam Christū spectemus venturū de cœlo, quem secundū verbū nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundū vos (obseruent hæc aduersarij nostri) aut verbū cū carne sua loco continetur, aut caro cum verbo vbiq; est. Quādo vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem & longe dissimile, circūscribi loco et vbiq; esse. Et quia verbū vbiq; est, caro autem eius vbiq; non est, apparet vnum eundemq; Christum vtriusq; esse naturæ, & esse quidem vbiq;, secundū naturā diuinitatis suæ, et loco contineri, secundum naturam humanitatis suæ: creatum esse, & initiū non habere: morti subiacere, et mori non posse: quod vnū illi est ex natura verbi, qua deus est, alterū ex natura carnis, qua idem Deus homo est. Igitur vnus Dei filius idemq; hominis factus filius, habet initium ex natura carnis suæ, & non habet initium ex natura diuinitatis suæ, creatus est per naturam carnis suæ; et non est creatus per naturam diuinitatis suæ: circumscribitur loco per naturam carnis suæ: & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ: minor est etiam angelis per naturam carnis suæ, & æqualis est patri secundum naturam diuinitatis suæ, & mortuus est natura carnis suæ, & non est mortuus natura diuinitatis suæ. Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc vsq; custodiunt. Hæc Vigilius martyr. Au-

diunt rursus aduersarij nostri, fidem expositam, & eã quidem non absurdam, non physicam aut philosophicam, sed vere orthodoxam catholicam Christianam, ac illam ipsam, quam nos hodie tenemus constanter et tradimus ecclesijs concorditer. Plura huius generis alia, et ipsa non dubia, sed certissima & apertissima ex illo authore possem proferre, sed remitto cupidum lectorem ad ipsum authorem.

Beatus Fulgentius Aphricanarum eccles. episcopus elegantes & pios scripsit libros de mysterio incarnationis dominicæ ad regem Trasimundum, ac in 2. libro explicans illud domini, Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo, dicit, Non hoc dixit Dominus, quia humana Christi substantia fuerit vbiq; diffusa, sed quoniam vnus idemq; filius Dei atq; hominis filius, verus Deus ex Patre, sicut verus homo ex homine: licet secundum veram humanitatem suam, localiter tũc esset in terra, secundum diuinitatem tamen, quæ loco nullatenus continetur, cœlum totus impleret & terram, Et reliqua.

Idem eodem libro, Vnus idemq; homo localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre, vnus idemq; secundum humanam substantiam absens cœlo, cum esset in terra, & derelinquens terram, cum ascendisset in cœlum, secundum diuinam vero & immensam substantiam nec cœlum dimittens, cum de cœlo descendit, nec terram deserens, cum in cœlum ascendit. Quod ipsius domini potest certissimo cognosci sermone, qui vt localem ostenderet humanitatem suam, dixit discipulis

suis,

suis, Ascendo ad patrem meum & patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. De Lazaro quoque cum dixisset, Lazarus mortuus est, adiunxit dicens, Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. Immensitatem verò suæ diuinitatis ostendens discipulis dicit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi. Quomodo ascendit in cælum, nisi quia localis & verus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immensus et verus est Deus.

Idem lib. 3. Idem atq; inseparabilis Christus secundum solam carnem de sepulchro surrexit, idem atque inseparabilis Chistus secundum totum hominem, quē accepit, terram localiter deserens, ad cælum ascendit, & in dextris Dei sedet: secundum eundem totum hominem venturus ad iudicandum viuos & mortuos, coronaturus fideles & pios. Huius generis innumera possem ex isto beato Patre ascribere, sed rursus lectores sedulos ad lectorem librorum illorum remitto.

Possem præterea innumera huius generis pro nobis afferre ex quinta Synodo Constantinopolitana, item ex Actione 4. 8. 10. 11. 18. & alijs Synodi Cōstantinopolitanæ sextæ, sed & ex Toletanis & Spalen. 2. Synodis, verùm dixi me non molestum fore auditoribus, qui ex ijs quæ hactenus adducta sunt à me, perspicue videt Christi corpus non esse vbiq;, sed in loco, & nos dum hoc affirmamus neq; Nestorianos factos neq; consensum catholicæ fidei conuellere, neq; nouis nostris opinionibus ex capitibus nostris et ex lutulenta philosophia allatis

& confectis turbare, sed veterum insistere vestigiis fidemque catholicam & consensum fidei orthodoxum religiosissimè custodire, neque vel latum pilum à receptis dgomatibus orthodoxis & catholicis variare aut tantillum recedere.

Christi Domini corpus ex mortuis excitatum humani corporis ueritatem retinere.

Sufficerent ista quidem exercitatioribus, nisi per contentionem simplicioribus proponeretur, clarificatione non tolli quidem veritatē corporis gloriosi, ita tamen attenuari & redigi ferè in spiritū, vt adaptari posit ei præsentiæ quam fingunt in Cœna, quasi adsit corporaliter Christus vero suo corpore, sed tamen glorioso & modo ineffabili. Et quanquam paucis opponere poteramus dn̄m dixisse, Hoc est corpus meū, quod pro vobis datur: corpus autem gloriosum impaßibile & immortale esse, atque adeo ipsos iterum recedere à verbis illis suis disertis & claris, non pigebit tamen veritatem rediuiui corporis Christi, contra omnis generis errores, asserere & puram & simplicem fidem profiteri.

Scriptura quæ fidei gnomon vel regula est manifestißimè testatur, corpus Christi in resurrectione accepisse quidem gloriam et immortalitatem, sed non deposuisse carnis substantiā, vel naturā veri corporis ac redactum esse in spiritum, quod per omnia & in immensum diffundatur. Angeli enim de corpore Christi resuscitato loquentes, disertè dicunt, Non est hic, Ecce locus, vbi posuerunt eum. Euangelium manifestißime

Resurrectio Christi vera

mè testatur, & ait Christum reliquisse mundum, abijsse, recessisse, sublatum esse à nobis, & assumptum esse in ipsum cœlum: quæ omnia veritatem corporis commonstrant, nec sinunt corporis rediuiui veritatem expandere per omnia. Quid quod ipsemet Dominus ad discipulos suos, in ipsa resurrectionis die veniens, discipulisq́ existimantibus se spiritum videre, dixit: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus vestris? Videte manus meas & pedes meos. Ne quis autem hoc corpus quod exhibebat videndum, putaret alienum ab eo, quod mortuum fuerat, addit, Quia ego ipse sum. Et addit insuper, Contrectate me & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Simul autem manus atq; pedes proferēs, commonstrauit stigmatibus et cicatricibus insignes verissimi & vnici ipsius sui corporis testes. Hac euidentissima demōstratione conuictus beatus Augustinus exclamat, Nec eos audiamus, qui negāt tale corpus domini resurrexissēt, quale positum erat in monumento. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem discipulis, Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Sacrilegium est enim credere Dominum nostrum, cum ipse sit veritas, in aliquo fuisse mentitum. Tantum ille. Cæterum cum Thomas apostolus non adfuisset discipulis, quando ipsis se Dominus & videndum & palpandum exhibuisset, discipuli autem illi testarentur verò suo corpore resurrexisse ex mortuis Dominum, excipit ille, Nisi verò videro in

manibus eius vestigium vel cicatricem clauorum et mittam digitum meum in vestigium clauorum, & in latus eius, non credam. Ideo et huic peculiariter bonus dominus & videndum contrectandumque se sistit in conspectu cæterorum discipulorum & ait Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, et admoue manum tuam, et immitte in latus meũ, & noli esse incredulus, sed sis credulus. Qua demõstratione con fictus Thomas, credidit domino, & adorauit. Quid autem poterat dici planius & certius? Proinde dominus resurgendo ex mortuis corpus suum non deposuit neque in spiritum aut diuinitatem conuertit, sed vertitate corporis seruata, in melius instituit ac glorificauit.

Ascensio Domini vera.

De ascensione corporis Christi, quæ & ipsa veritatem corporis Christi rediuiui asserit, cum superius dictum sit, quantum satis est, non est quod superuacanea repetitione moueam fastidium. Quid quod fides catholica scripturis fundata, manifestißime confitetur corpora nostra conformia futura corpori glorioso Christi, nostrorumque corporũ resurrectionẽ futuram talem, qualem credimus fuisse resurrectionem Christi? Legatur apostolus ad Philipp. 3. et 1. Corinth. 15. vbi palàm à Christi corporis natura, & vicißim à nostris corporibus ad Christi corpus argumentando concludit. Cum autem corpora nostra non resoluantur in spiritus neque in immensum extendantur et sint futura vbique, cur non seruaremus & veritatem rediuiui corporis in Christo? Quatenus caput membra præcellat, dicetur mox ex Theodoreto.

Hæc

Hæc verò quæ hactenus ex scriptura sancta comme moravimus, magno consensu in symbolis catholicæ fidei, & in doctrina fidelium ecclesiæ doctorum, expressa sunt, cuius quidem rei aliquot subyciam testimonia. S. martyr Irenæus significantissimè in symbolo suo, addit carnem ascensioni Domini, confitens Christum in carne ascendisse in cœlos. Quem imitatus beatus Pontifex Damasus, in symbolo suo: Qui deuicto, inquit, mortis imperio, cum ea carne, qua natus & passus & mortuus fuerat, etiam resurrexit, ascendit ad patrem. Sed et beatus Leo pontifex in epistola sua ad Flauianum episcopum Constantinop. Post resurrectionem Domini, ait, quæ vtique veri hominis fuit (quia alter non est resuscitatus, quàm qui fuerat crucifixus & mortuus) quid aliud quadraginta dierū mora gestum est, quàm vt fidei nostræ integritas ab omni caligine mundaretur? Et reliqua. Legatur eiusdem epistola ad Palæstinos, quæ ordine numeratur 41. in qua ait Christi corpus reuoluto lapide resurrexisse. S. Hieronymus in explicatione symboli sui, siue quisquis ille fuerit, certè fidem catholicam exposuit, & dixit: Resurrexit Dominus noster tertia die, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei patris, manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua etiam resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata, et in æternum cum deitate mansura. Et cætera. Huc pertinet quod nomine & titulo S. Cypriani martyris vulgatum est in symbolum apostolorum: ego illum librū arbitror esse Ruffini Aquileiensis, cuius nomine

Irenæus. Damasus. Leo. Hieronymus

citatur à Ioan.Caßiano lib.de Incarnat. Dom.7. Ita aũt in eo libro legitur: Ascendit Christus ad cælos, non vbi verbum Deus ante nõ fuerat: quippe qui erat semper in cælis et manebat in patre, sed vbi verbũ caro factũ ante nõ sedebat. Sedere quoq; ad dexterã patris, carnis assumptæ mysteriũ est. Neq; enim incorporeæ illi naturæ cõuenienter ista absq; assumptione carnis addũtur, neq; sedis cælestis perfectũ diuina natura, sed humana, conquirit.

Athanasi9 Athanasius ille magnus ad Epictetũ inter alia huius generis: Corpus, inquit, saluatoris verũ erat corpus: quia simile erat nostro. Soror enim nostra fuit Maria. Quoniã omnes ex Adã sumus. Et de hoc nunq̃ aliqs dubitauit, recolens quia scripsit Lucas. Postquã enim resurrexit à mortuis æstimantibus quibusdã non in corpore ex Maria videri Dominũ, sed pro ipso spiritum, dicebat: Videte manus meas et pedes et vestigia clauorum: quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere: et hoc dicens, ostendit eis manus suas et pedes. Ex quibus confutari possunt iterũ, qui dicunt in carnẽ & ossa mutatũ esse Dominũ. Non enim dixit, Sicut me videtis esse carnem et ossa, sed habere: vt non ipsum verbum in hac mutatũ esse credatur, sed ipse in ys et ante mortẽ & post resurrectionem esse credatur. Et cætera.

Cyrillus. Consentit Athanasio beatus Cyrillus, qui et ipse verũ corpus Domino resurgenti & in cælos ascendenti tribuit, et hactenus creaturã agnoscit. Nã ad Successum Isauriæ Diocæs. episcopum, postquã multa in hanc sententiam disputasset, dicit tandem: Impoßibile est in deitatis essentiam vel naturam aliquid creatu

uarum posse conuerti. Est autē creatura etiā caro. Ideoq́ diuinum quidē dicimus corpus Christi: quia corpus est Dei et ineffabili gloria illustratū, incorruptibile & iam sanctum atq; viuificū confitemur. Quod autem in naturam deitatis sit commutatum neq; sanctorum Patrum quisquam sensit aut docuit, neq; nos ita sentimus.

Caro Christi creatura, non conuersa in deitatem.

S. Hieronymus ex professo & fuse et doctißimè pyßimeq́; disputat de veritate corporis ex mortuis excitati, contra Ioannem Hierosolymitanum & omnes Origenianos ad Pammachium. Inter alia hæc Origenis erronea recitat: Nec vos, ô simplices, resurrectio Christi decipiat, quod latus & manus monstrauerit, in littore steterit, in itinere cum Cleopha ambulauerit, & carnes & ossa habere se dixerit. Illud corpus alijs pollet priuilegijs (obseruent hæc probè antagonistæ nostri) quod de viri semine & carnis voluptate non natum est. Nec dißimulat naturam aërei corporis & spiritalis. Clausis enim ingreditur ostijs, & in fractione panis euanescit. Et reliqua. Ad hæc respondens Hieronymus: Quomodo, inquit, veras manus & verum latus ostendit, ita verè comedit cum discipulis, verè ambulauit cum Cleopha, verè lingua loquutus est cum omnibus, vero accubitu discubuit in cœna, veris manibus accepit panem, benedixit ac fregit & dedit illis. Quod autem ab oculis repente euanuit, virtus Dei est, non vmbræ aut phantasmatis. Alioqui & ante resurrectionem cum eduxissent eum de Nazareth, vt præcipitarent de supercilio montis, transiuit per medios, id est, elapsus est de manibus

illorum. Nunquid iuxta Martionem dicere possumus, quod ideò natiuitas eius in phantasmate fuerit, quia cōtra naturā qui tenebatur elapsus est? Et reliqua quibus fortiter cōfutat leptologos illos fingentes corpus, et tamē subtile ac conuersum in spiritū. Respondet ad illud quoq; quod legitur, Dominus clausis ingressus esse ianuis. Sed et in Cōment. ad vlt. cap. Isaiæ: Miror quosdam, inquit, aereum corpus & paulatim in auras tenues dissoluendum, post resurrectionē introducere, quia Dominus potentia maiestatis suæ ad apostolos clausis ingressus est ianuis: qui certè et ante resurrectionē pendulo super mare ambulauit incessu: & hoc ipsum apostolo præbuit Petro, vt qui fide ambulabat, infidelitate postea mergeretur, cui dictum est, Quare dubitasti modicæ fidei? Idem conuerso sermone ad Ioannem Hierosolymitanum: Vis, inquit, resurrectionem verè & non putatiuè, vt loqueris, confiteri? Post illa quibus ignorantium blanditus es auribus, quod in ipsis corporibus, in quibus mortui sumus & sepulti resurgamus, hoc potius adiunge & dic: Quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: & propriè ad Thomam, Infer digitum tuum in manus meas, &c. Sic et nos post resurrectionē eadem habebimus membra, quibus nunc vtimur, easdē carnes, sanguinem & ossa: quorum in scripturis sanctis opera, non natura damnatur. Hæc est vera resurrectionis confeßio, quæ sic carni gloriam tribuit, vt non auferat veritatem. Idem mox iterum: Ego liberè dicam, & quanquam torqueatis labia, trahatis capillum, applaudatis pede, Iudæorum lapides inquiratis, fidem ecclesiæ

Christus ingressus ianuis clausis.

apertißimè

apertiſsimè confitebor, Reſurrectionis veritas catholica ſine carne & oſsibus, ſine ſanguine & membris intelligi non poteſt. Vbi caro & oſſa & ſanguis & membra ſunt, ibi neceſſe eſt, vt ſexus diuerſitas ſit, vbi ſexus diuerſitas eſt, ibi Ioannes Ioannes, Maria Maria. Lege tu cætera.

Huc pertinet locus Auguſtini ſuperius expoſitus ex epiſtola ad Dardanum. Idem lib. de Ciuit. Dei 13. cap. 22. & 23. dicit: Certè fides Chriſtiana de ipſo Saluatore non dubitat, quod etiam poſt reſurrectionem, iam quidem in ſpiritali carne, ſed tamen vera, cibum & potum cum diſcipulis ſumpſit. Non enim poteſtas, ſed egeſtas edendi & bibendi talibus corporibus aufertur. Vnde & ſpiritualia erunt: non quia corpora eſſe deſiſtent, ſed quia ſpiritu viuificante ſubſiſtent. Nam ſicut corpora iſta, quæ habent animam viuentem, nondum ſpiritum viuificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamen animæ ſunt, ſed corpora: ita illa ſpiritualia vocantur corpora. Abſit tamen vt ea ſpiritus credamus futura, ſed corpora carnis habitura ſubſiſtentiam, ſed nullam tarditatem corruptionémque carnalem ſpiritu viuificante paſſura. Tunc iam non terrenus, ſed cœleſtis homo erit: non quia corpus quod de terra factum eſt, non ipſum erit, ſed quia dono cœleſti iam tale erit, vt cœlo incolendo non amiſſa natura, ſed mutata qualitate conueniat. Auguſtin.

Theodoretus Dialog. lib. 2. qui eſt ac inſcribitur Inconfuſus, inducit ſuum illum Eraniſten aſſerentem in reſurrectione corpus domini mutationem accepiſſe in naturã Theodoretus

diuinitatis. Opponit Orthodoxus: Quomodo ergo diffidentibus discipulis et manus ostendit et pedes? Excipit Eranistes, Sicut clausis ianuis ingressus est. Respondet Orthodoxus, Sed ingressus est clausis ianuis, quemadmodum ex vtero est egressus, cum virginis claustra obsisterent, & sicut in mari ingressus est: nondum autem vt tu dicis facta erat naturæ mutatio, etc. Deinde post multam et variam disceptationem, infert Orthodoxus: Ergo manet quidem natura, mutatur autem, quod est eius corruptibile in incorruptionem, et mortale in immortalitatem. Sic autem consideremus quod infirmum et quod sanum corpus est, ex æquo corpus appellamus. Et mox, Igitur corpus dominicum surrexit quidē à corruptione et interitu alienū et impatibile et immortale et diuina gloria glorificatū, et à cælestibus adoratur potestatibus, corpus tamen est, & habet quam prius habuit circumscriptionem. His et alijs multis in hanc sententiā disputatis, obijcit Eranistes ille: Sed postquā in cælos assumptus est, existimo te nō ostensurū corpus à viris sancto spiritu inspiratis corpus dici. Respondet Orthodoxus: Ostendam etiā post assumptionē corpus Domini corpus vocari. Audi ergo Paulum dicentem: Nostra conuersatio in cælis est, ex quo etiam expectamus Seruatorē Dominum Iesum, qui transformabit corpus humilitatis nostra, vt sit conforme corpori gloriæ ipsius. Non est ergo mutatum in aliam naturam: sed mansit quidem corpus verum, diuina gloria impletum, & lucis emittens radios. Illi fient sanctorum corpora conformia. Sin autem in aliam naturam mutatum est, eorum quoq; corpora similiter muta-

mutabuntur. Fient enim illi conformia. Sin autem corpora sanctorum seruant suæ naturæ characterem, corpus quoq; Domini similiter habet suam substantiam immutabilem. Miratur Eranistes corpora nostra æqualia fieri corpori Christi. Declarat ergo hoc Orthodoxus & ait, Ab interitu quidem & corruptione erunt ea quoq; aliena & immortalitatis participia: habebunt etiam gloriæ partem & communionem, quemadmodum dicit Apostolus, Siquidem compatimur, vt etiam glorificemur. In quantitate autem magna potest inueniri differentia, & tanta quantum differt Sol à stellis, vel quantum dominus à seruis, & quod illuminatur ab ab eo, quod illuminat. Suos tamen seruos etiam suis nominibus impertijt, & qui lux appellatur, sanctos quoque lucem vocauit: Vos enim, inquit, estis lux mundi: & qui Sol iustitiæ nominatur, dicit de seruis: Tunc fulgebunt iusti sicut Sol. In quantitate ergo, non qualitate erunt sanctorum corpora corpori Domini conformia. Et cætera.

Vigilius quoq; martyr contra hæreses disputãs, Dicuntur sanè isti Christum vsque ad resurrectionem eius ex duabus confiteri naturis, post resurrectionem autem vnius eum esse fateri. Et mox, Forsan adhuc in terra positus vtriusque erat naturæ, postea verò quam cœlos ascendit vnius cœpit esse diuinæ. Et quid ergo ibi facit nomen filij hominis, si natura ibi non est humanitatis? Quomodo rei extanti inane nomen ascribitur? Quomodo nominis veritas manet, si naturæ proprietas abest? Deniq; dicit, Cum venerit filius hominis in gloria

patris sui. Et iterum: Sicut fulgur exit ab oriente & apparet vsque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Et iterum: Veniens filius hominis, putás ne fidem inueniet in terra? Daniel quoque: Ecce, ait, in nubibus cœli filius hominis veniebat. Si amissa est ergo humanitatis natura, cur eius est recensum vocabulum? An quia nomen opus erat, & res nominis tanquam non necessaria repudianda fuerat? Sic desipiant, quos nihil erroris sui atque ineptiæ pudet. Cæterùm Dominus Iesus Christus, vt ostendat nostri generis naturam non fuisse consumptam, veraciter se filium hominis dicit, secundum quam etiam patrem interpellat pro nobis. Hæc ille.

Exposuimus hucusq; euidentia pro veritate corporis Christi, adeoq; pro causa nostra contra aduersarios scripturæ testimonia, clara Patrum dicta, & minimè ancipites sententias: deniq; in hoc genere dogmatis totius catholicæ Ecclesiæ consensum. Concludimus ergo manifestè contra veritatem fidei pugnare corporalem, quam isti omnibus obtrudunt, Christi in pane præsentiam, vt pote quæ non potest, nisi veritas corporis Christi corporisq; proprietas euacuetur, statui. Ostendimus nos nulla noua primitiuæ Ecclesiæ ignota proferre dogmata. Purgamus nos ab omni suspicione hæreseos, nedum à Nestoriani dogmatis infamia. Neque interim aduersarios nostros aspergimus ijs asperginibus, à quibus illi (metuo) vix abstinerent, in coinquinandis nobis, si ea ipsis esset occasio & facultas, quam omnes fideles nos habere, manifestissimè vident.

Nullas

Nullas fuisse contentiones apud ueteres de præsentia corporis Christi in Cœna Domini.

Cum autem uniuersa vetustas de veritate corporis Christi ita senserit concorditer & constantissime, nihil mirum est nullas ei fuisse contentiones de sensu verborum Domini, Hoc est corpus meum, aut de præsentia & manducatione & potu veri corporis & sanguinis Christi. Omnes enim agnoscebant figurate dictum esse, Hoc est corpus meum: omnes agnoscebant sacramentũ & mysterium, quod spiritualiter perficeretur per fidẽ. Et hãc doctrinã in ecclesia Dei post octingentos à Christo nato annos vsurpatum esse testari potest, vel Bertrami presbyteri libellus, quem iubente Carolo Caluo Francorum rege, conscripsit. Quanquam ex illo ipso libello colligere liceat, vel illo tempore & ante id tempus fuisse exortos qui sentire cœperint quod nulla sub figura, sed ipsius veritatis nuda, vt ille ait, manifestatione mysterium peragatur. Certè Ioannes Damascenus qui & idola in tẽplis defendit, quo nomine à septima (quã ita quidem falso dictam aiunt) Synodo damnatus est, Lib. de orthod. fide 4. cap. 14. *μετα ποίησιν transmutationem panis & vini miraculosam & ineffabilem in corpus & sanguinẽ Christi affirmauit, manifeste scriptum relinquens, Non est figura panis corporis Christi (absit hoc) sed est ipsum corpus domini deificatum. Si quæras modum, nihil amplius scimus, quam quod verbum Domini, Hoc est corpus meum, est verum & efficax & omnipotens, modus autem inscrutabilis. Floruit hic post septingentos à*

natiuitate Domini annos, imperante Leone Isaurico.

Panis est corpus Christi & sacramentum corporis Christi.

In veterũ verò monumentis vtrũq; genus loquẽdi in ecclesia vsurpatum fuisse deprehendimus, & panẽ & vinũ esse verũ corpus & sanguinẽ Christi: et panẽ & vinũ signa symbola & sacramenta esse veri corporis et sanguinis Christi. Qui dicebant panẽ & vinũ esse verũ corpus et sanguinem Domini, non oppugnabant eos ceu fidei hostes, & hæreticos et sacramentorum euersores qui appellabant panem et vinũ signa, symbola vel sacramenta veri corporis & sanguinis Domini. Agnoscebant enim et ipsi loquutionem sacramentalem & mysterium, neq; ita craßi erant, aut figuratas loquutiones velut proprias exponendas contenderent. Rursus qui appellabant panem & vinum sacramenta corporis et sanguinis Domini, non abhorrebãt ab illa loquutione, Panis est verum corpus Christi & vinum est verus sanguis Christi, quæ percipiuntur à fidelibus. Neq; enim de his contendebant, neq; in sacramentis nihil aliud agnoscebant, quam pura vel nuda ac prophana signa. Nam intelligebant omnes & fatebantur, Christifideles spiritualiter per fidem participare rebus cœlestibus, quarum sacramenta ore percipiebantur. Ergo S. Hieronymus hæc Domini verba, Hoc est corpus meum exponebat, vt superius dictũ est, per repræsentationem. Idẽ in Epist. de Exuperio Tolosano episcopo loquens, Corpus Domini, inquit, in canistro vimineo & sanguinem gestabat in vitro. Idem rursus in Ecclesiasten, Quia caro Domini, inquit, verus est cibus, et sanguis eius verus est potus iuxta ἀναγωγήν hoc solum habemus in præsen-

ti

ti seculo bonum, si vescamur carne eius cruoreq; potemur non solum in mysterio, sed etiam in scripturarũ lectione. Verus enim cibus & potus qui ex verbo Dei sumitur scientia scripturarum est. Ad eundem modum scribunt & loquũtur etiam alij scriptores ecclesiastici.

Ideoq; libenter recipimus. S. martyris Iustini testimonium, quod in libris aduersariorum nostrorum, veluti inuictum corporalis præsentiæ & manducationis testimonium, à fronte, veluti in acie collocatur. Etenim in cœna agnoscimus non vulgarem panẽ, sed verbo et institutione Christi, qui veram pro nobis carnem assumpsit, consecratum vel sanctificatum (& hactenus quidem mutatũ) panem, alimoniam inquam pascentem fideles ad vitam æternã, & iccirco corpus et sanguinẽ Dñi, quæ sola fide percepta viuificare possunt. Rectè verò & Tertull. 2. ad vxorẽ suã lib. incõmoda recitans matronæ Christianæ marito gẽtili nuptæ. Non sciet maritus, inquit, quid secretò et ante omnem cibũ gustes: & si sciuerit panem, non illũ credit, qui dicitur. Item, Quis ad conuiuium dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittit? Cæterum idem in Apologetico cap. 10. commemorat ethnicos infamauisse mysteria Christianorum, quasi hi in istis vt Thyestæa cœna verã carnem humanam deuorarent verumq; potarent sanguinem. Contra hos disserẽs inter alia. Porrò quale est, inquit, vt quos sanguine pecoris horrere (etenim tunc adhuc, secundũ apostolicũ decretũ, à suffocato et sanguine abstinebant Christiani) cõspicitis, humano inhiare credatis? Et iterũ, Erubescat error vester Christianos q

Iustinus martyr.

Ethnici infamarunt mysteria Christianorum.

Acto. 15.

ne animaliũ quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoq; ſuffocatis et morticinijs abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Et cætera. Nihil autem mirum eſt ita iudicaſſe craſſos, et ſpiritu dei vacuos gentiles, vtpote qui myſtica verba & ſacramentales loquutiones, quas audiebant, carnaliter non ſpiritualiter interpretabantur. Oecumenius certè epiſtolam S. Petri enarrans, et quod apud omnes eccleſiaſticos ſcriptores legerat, veluti in cõpendium contrahens, ſic ſcriptum reliquit, Obloquentes autem de nobis gentiles inducit Petrus. Quod ſi quis cognoſcere vult ex ijs quæ Irenæus Lugdunen. epiſcopus de Sancto & Blandina martyribus memoriæ tradidit, manifeſte perſpicere poteſt. Ea vt breuius referamus, eiuſmodi ſunt. Cum Græci Chriſtianorum prima inſtitutione inſtructorum, quos Catechumenos vocant, ſeruos comprehendiſſent, eosq́; cogerent, vt arcani aliquid de Chriſtianis proderent, ſerui hi cum neſcirent quid iucundi ipſis poſſent referre, quantum ab heris ſuis audierãt, Corpus ſcilicet & ſanguinem Chriſti eſſe, quod in ſacra menſa ſumeretur, id reuera ipſi carnem et ſanguinem eſſe exiſtimantes, inquirentibus euulgarunt. Ipſi verò id certo fieri à Chriſtianis rati, in reliquos Græcos diffamarunt, & Sanctum & Blandinam confiteri fidem tormentis coëgerunt. Quibus Blandina ſumpta fiducia opportune dixit. Quo pacto, inquiens, facere hoc Chriſtiani paterentur, qui ne conceſsis quidem carnibus, exercitationis & continentiæ cauſa frui volunt? Hactenus ille.

Huc

Huc pertinere arbitror quod beatus Augustinus aperte vocat scelus aut flagitium corpus Christi edere corporaliter. Verba authoris si quis requirat, hæc sunt, Si præceptiua loquutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut vtilitatem aut beneficium iubens non est figurata. Si autem flagitium aut scelus videtur iubere aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est, Nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis & sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis, facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo præcipiẽs paßioni Domini esse cõmunicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Et reliqua quæ leguntur 3. lib. de Doct. Christ. cap. 16. Quis ergo ex his omnibus quæ attulimus, non colligat, tametsi primitiua ecclesia disertè confessa sit fideles carnem verã & sanguinem Domini verum verè manducare & bibere, nunquam tamen cuiquam fidelium venisse in mentem, id fieri corporaliter & naturaliter, sed spiritualiter potius ac mystice, qui modus solus cognitus rectè à priscis dicitur fidelibus. Proindè omnibus istis seculis abundè satis erat confiteri fideles verè participare corpore & sanguine Domini. Nemo adigebatur ad has voces Carnaliter, Naturalitar, Corporaliter, Substantialiter, in pane, sub pane, cum pane, aut mutata etiam & transubstantiata substantia panis in substantiam corporis Christi.

Fateor sanè voces Corporaliter & Naturaliter, inueniri in negotio Cœnæ apud beatum Cyrillum, sed lon

gè alia ratione, quàm hodie soleant afferri. Id quod co-
copiosissimè collatis inter se sententijs, demõstrauit bea-
tæ memoriæ D. Ioãnes Oecolamp. Explicat semetipsum
& ipse quoq; Cyrillus fuse lib. in Ioan. 11. cap. 26. et 27.
Ad obiectiones Theodoreti idem ille asseuerat sacra-
mentum fidelium non statuere ἀνθρωποφαγίαν ho
minis manducationem, adigens insane & irreligiose
(ita loquitur) mentes fidelium ad crassas cogitationes,
sed ad ea potius inducere quæ syncera & inexquisita
fide capiuntur. Præterea intelligimus coniunctionem il
lam (quod et superius diximus) quam fideles cũ Chri
sto habent, non fictam aut imaginariam esse, sed verã
et hactenus naturalem corporalemq;, vtpote quæ primo
quidem pertinet ad animã, deinde & ad corpus ipsum
nostrum. Venit. n. Christus dominus, non duntaxat sal-
uandis animabus, sed & reparandis corporibus. Ideo
alibi Cyrill. admonet, dominũ propterea nostra cõmuni
casse carne, quod ita per carnem suã, diuini spiritus ope
ra, vitam suam in nostram quoq; carnem vellet inspira
re aut diffundere. Vnde & Paulus dixisse videtur, Ne
scitis, quia mẽbra vestra mebra sunt Christi? Et iterũ,
Quoniã membra sumus corporis eiusdem, ex carne eius
& osibus eius: non tam quod cõmunicemus cum eo, et
ille nobiscũ eadem carne, quam quod participes redda-
mur immortalitatis & resurrectionis per hoc, quod il-
le carnem assumpsit, in carne mortuus est & resurre-
xit, vt vitam carni nostræ communicaret & totos nos
anima & corpore restauraret. Id verò cum fidelib. Cœ
nã celebrantibus reparetur ac repræsentetur, atq; sacra
mentu

Coniunctio nostra cum Christo.

mētis visibiliter incorporamur Dño et ecclesiæ eius, qđ mirũ, si audiamus fideles communione mystica vnum cũ dño corpus fieri? cũ & Paulus dixerit, Vnus panis, vnũ corpus multi sumus. Nã ex eodem pane participamus. Et qui hoc dixit panem ipsum neq; corporaliter esse corpus Christi, neq; sub pane latitare corpus Christi naturaliter asseruit. Proinde satis aliquãdo in ecclesia fuisset, si qs dixisset professusue fuisset. Christi verũ corpus, & verum eius sanguinem se percipere in celebratione mysteriorũ, etiãsi nõ adiecisset carnaliter, corporaliter, naturaliter, substãntialiter aut etiam transsubstãtialiter, in pane, cũ pane, aut sub pane, modo tamen ineffabili: Quinimo si quis adiecisset has voces, spiritualiter, mystice, sacramentaliter, vel ratione sacramentali, aut modo sacramentis proprio, nõ hoc nomine in suspicionē trahebatur hæreseos, neq; lapidebatur pro sacrilego, vti hodie fieri consueuit.

Euuolutis demũ mille illis fatalibus annis. manifestè de corporali præsentia et mãducatione corporis Christi in pane, magno ecclesiæ religionis veræ et pacis publicæ malo definitũ est in Cõcilijs, quæ diuersa diuersisq; tēporib. celebrabãtur Florētiæ, Vercellis, Turoni et Romæ: in quibus gubernacula ecclesiæ et doctrinarũ dijudicatio penitus deuenerat in man⁹ et arbitriũ monachorũ, q et omnē suã operã collocabãt Romanis põtificib. quorũ pleriq; isto seculo et ipsi erant monachi. Notũ est autem historiarum non omnino rudibus, qualia illa fuerint tempora, quales tunc sederint Romani pontifices, et qui meliores videbantur, à quibus fuerint gubernati. Illo

Apoc. 20. Definitur corporalis præsentia & manducatio.

infelici seculo sederat Siluester 2.in omnibus historijs magia turpis imò fœdissimus. Illo tempore sederat Benedictus 9.sederat item Gregorius 6.quorum discipulum ait fuisse Beno cardinalis, Hildebrandum monstrificū monachum, qui postea cum in sellam pontificam emersisset, dictus est Gregorius 7. Hic plerosq; sui temporis pontifices, & melioris quidem notæ homines, pro suo rexit arbitrio, vel certè sustulit veneno. De quibus Beno copiose, mihi verò iam non est dicendi locus.

De cœna domini altercationes.

Aiunt illo seculo duos extitisse libros contrarios, alterum quidem Ioannis Scoti viri doctissimi, non illius Dunsij, sed longe vetustioris vel è schola venerabilis Bedæ progressi, & collegæ Albini, vel dicti aliâs Erigenæ, qui adductis Patrum sententijs, ostenderit mysteria Christi spiritualia esse: alterum verò Paschasij (Ratberti opinor abbatis Corbeien.) qui & ipse collectis Patrum sententijs ostendere voluerit corporalia esse mysteria. Scindebantur inter se docti, alijs huc, alijs illuc inclinantibus, mutuisq; inter se odijs & concertationibus flagrantibus. Inter hos non postremum locum concedūt Lanfranco Ticiniensi & Berengario Andegauensi, quorum hic Ioan. Scoti, ille Paschasij partibus adhærebat. Delata est tandem controuersia in celebres Synodos, ac damnatus est liber Ioannis Scoti in Concilio Vercellen. damnata est & doctrina Berengarij, qui et concionando & scribendo corporalem in mysterijs sententiam oppugnabat. Hic Berengarius Gallicanarum ecclesiarum minister semel & iterum vocatus in Synodos, postremò sub Pontifice Nicolao in Concilio Romano

Berengarius

no ad eam est adactus palinodiam, quam Gracianus recitat De consecrat. Distinct. 2. Ego Berengarius. Coactus est autem fateri panem & vinum, quæ in altari ponuntur (verba ipsa Reuocationis recito) post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi sensualiter, non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari frangi, fideliumq; dentibus atteri. Pulchrè verò hæc congruunt corpori Christi pro nobis tradito, & in cœlis regnanti. Si Augustinus hæc audiuisset, dixisset piaculum commisisse, & Berengarium, et eos qui ad talem palinodiam ipsum adegerunt. Ex libro Lanfranci apparet Berengarium commissi sceleris egisse pœnitentiam. Platina certè testatur in Ioan. 15. Berengarium doctrina & vitæ sanctitate insignem fuisse virum. Cæterùm tam videlicet firma ac certa hæc sunt apud eos quoq;, qui ista pro sacrosanctis adorant, vt ipse Decretorum Glossator, ad margines ascribere compulsus sit. Nisi sanè intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæresim, quàm ipse: & ideò omnia referas ad ipsas species. Hæc ille. Ergo si hæc Commentatoris interpretatio vera est, consequitur manifestißimè ipsum Domini corpus in veritate manibus sacerdotum nec tractari nec frangi neq; dentibus fidelium atteri, sed duntaxat Sacramenti panē. Quid verò hoc aliud est, quàm iamiam statuta dicta & confessa, iterum irrita reddere, dissuere atq; negare? Neq; aliter fœdum hunc errorem fucauit & excusauit ipse Sententiarum magister Petrus Lombardus, dicens ista quidem non corpori esse attri-

Contra Berengarij reuocationem.

buenda, sed symbolo. Vtitur itaque & ipse tropo magister, quo rei tribuitur quod est symbolorum. Interim audet in nos propter vsurpatum tropum fulmen contorquere hæreseos. Idem ille fatetur Dominum discipulis suis tale corpus in Cœna dedisse, quale tunc habuit, hoc est paßibile & mortale, nunc autem nobis dari in Sacramento impaßibile & immortale sub speciebus panis & vini. Sed oportuit istos homines ita loqui & agere, nec sibi probè constare, vt omnes intelligerent prudentiores, illos reuera esse quos Apostolus dixit, non intelligere quæ loquuntur, aut de quibus asseuerent. Vnde aduersarys nostris huiusmodi præsidia inuideo, tantum abest vt amaris sannis, quod ipsi futurum existimauerunt, excipiam. Citatur enim ab ipsis contra nos Concilium Vercellense & Romanum, sub Nicolao 2. & Gregorio 7. celebratum. Quasi verò istorum Conciliorum decreta ipsa sese non refutent.

Innocent. 3. 1215. Reuolutis à morte Gregory 7. annis circiter 130. Innocentius eius nominis tertius coacto Romæ apud Lateranum Concilio, noua certè audatia symbolo condito inter capita fidei reposuit non iam corporalem præsentiam & manducationem corporis & sanguinis Christi sub latebra vel speciebus panis & vini, sed insuper & Transsubstantiationem: sicuti in Decretalibus manifestè exponitur, ac inter alia legitur: In Ecclesia idem ipse sacerdos & sacrificium Iesus Christus: cuius corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinem potestate

state diuina. Idem ille mandauit Eucharistiam in omnibus ecclesijs sub accurata custodia conseruari. Id quod legitur Decret. lib. 3. titt. 44.

Interim dißimulare hic non debeo, vel ante Innocentium fuisse, qui opinabantur post consecrationem non superesse in Eucharistia substantiam panis. Id quod ex libro Lanfranci contra Berengarium scripto, colligere licet. Ac constat illa secula diuersißimis inter se sententijs fuisse distracta. Scholastici scriptores ipsi fatentur scripturis sanctis exprimi quidem præsentiam Christi in Cœna, modum autem præsentiæ non exprimi. Antiquitus verò varias de illo fuisse sententias. Nam quosdam sensisse panis substantiam manere simul cum corpore Christi: quam tamen quidam illorum vehementer insectantur. Quosdam verò existimauisse panem virtute diuina factam esse carnem Christi. Et quosdam rursus opinatos esse, ipsam panis substantiam desinere, accidentia manere, & sub his esse corpus Christi. En quantopere uariatum sit illo seculo in dogmate præsentiæ Christi in Eucharistia. Subijciunt tamen non aliam de Sacramentis sententiam esse sequendam, quàm Romanæ ecclesiæ, quæ asserat panem transsubstantiari in corpus, viniũ in sanguinem. Cumq; quondam variæ fuerint opiniones quomodo sit in pane corpus Christi, deniq; et de conuersione aquæ in poculo sacro: sicuti videre licet in Decretali ædita à Gregorio 9. libro tertio de Celebratione missarum, Cum Marthæ, elegisse & explicauisse ecclesiam (sic illi loquũtur) in Cõcilio Lateranen. sub Innocent. 3.

Diuersæ sententiæ de præsentiæ modo.

eum sensum, quem supra commemorauimus de transsubstantiatione, velut orthodoxū, qui omninò post istā declarationem solennem factam, retinendus sit. Quis autem tam obesæ naris sit, qui non subolfaciat istud docendi genus prophanas magis scholas resipere, quàm doctrinam apostolicam? Quis apostolus vsus est vocabulo Transsubstantiationis & accidentiū sine subiecto & similium nugarum? Quis deniq; non videat vetustatem illis caruisse tricis, & nos quoq; feliciores hodie futuros, si illis carere vellemus.

Loquutiones veterum explicantur.

Sicubi ergo veteres dicunt in vsu sacro, panem non amplius esse panem, non intelliges id de transsubstantiatione, quæ nondum, vt modò dictum est, erat definita, sed de eo, quod qui vera fide edit de mensa Domini, de re magis significata solicitus est, quàm de signo. Sicubi dicunt mirabiliter mutari panem in corpus Christi, vinum in sanguinem Christi, rursus nihil loquuti sunt de transsubstantiatione, sed terrestrem vel vulgarem panis vsum iam mutatum in sacrum intellexerunt. Nam fidelis symbolū iam non vsurpat veluti corporis cibum, sed tanquam mysticum, vti superius expositum est. Sed & admiratione dignum est, Dominum hisce signis communicasse corporis & sanguinis appellationem, atque his nobis cōmendasse mysteriū paßionis suæ, fideiq; nostræ & salutis. Admiranda est imprimis cōmunio filij Dei cum miseris nobis peccatoribus.

Honorius 3. 1226.

Insequutus Innocentiū Honorius eius nominis 3. constituit vt eucharistia in mundo loco & obsignato semper honorificè conseruetur, ad infirmos item deferatur,

cumq; defertur aut ostenditur, populus se reuerēter inclinet. Leguntur hæc Decret. lib. 3. Tit. 41. Ita verò factū est, ut palatia basilicæ siue templa Eucharistiæ, quasi Deo vero, cōstrui cœperint. Quibus omnibus paucos post annos accessit Vrbanus eius nominis 4. qui ne quid diuino cultui deesset, festum Eucharistiæ instituit, quod appellatur Corporis Christi. Id quod Clemens 5. Clementinarum lib. 3. De reliquijs et veneratione sanctorum confirmauit. Quibus omnib. si adyciatur 11. cap. vaticiny Danielis, apparebit, quàm hæc omnia Deo vero probentur. Vrbanus 4. 1264.

Suppeditata autem hac veluti vberrima disputationum interminabilium materia, cœperunt se exercitare in omnibus penè scholis & cœnobys curiosa & sublimia ingenia, ac ab his tradita & prouulgata sunt de Eucharistia pleraque, quæ profectò satius est ignorare quàm discere, contemnere quàm meminisse. Interim traditi sunt carceribus & ignibus absumpti, quotquot nouum illud dogma papisticum de Eucharistia recipere & adorare noluerunt. Atque hic me tempus deficeret si pergerem singulariter commemorare quot & quàm acres & luctuosæ concertationes & persequutiones ob hanc causam, magno suo cum mœrore viri boni quingentis hisce annis coacti sint aspicere: cum tamen veteres ob hanc rem nihil contenderint, neminem persequuti sint aut concremauerint. Hæc autem in hoc commemoro, vt omnibus liquidò appareat, nullas de hac causa veteribus fuisse contentiones, & quando cœperit obyci contentionum materia, cum qua pariter agminatim in Ecclesiam Dei mala irruperunt

Rixæ & altercationes exortæ ex symbolo concordiæ.

grauißima. At non poſſunt non innumeræ nos adoperire calamitates & caligines, quoties ſemel relicta ſynceritate ſimplicitateq́ apoſtolica, per contentionum anfractus hominum placita, quæ recepimus, mordicus tueri ſtatuimus. Vident autē viri ſancti quàm nihil peccauerimus, tam nos quàm ſanctæ memoriæ prædeceſſores noſtri, qui relictis imò repudiatis nouis illis curioſis irrelligioſisq́ & dogmatibus & diſputationibus, auitam illam veritatem, ſynceritatem & ſimplicitatem, Deo prælucente, amplexi atque ſequuti ſumus. Vident præterea viri boni omnes, non poſſe in concordiam ſtabilem redigi contentionibus diſsipatam & miſerè afflictam Eccleſiam, niſi depoſitis conſtitutionibus nouis hominum, deniq; contentionibus diſputationibusq́ curioſis & moroſis, amplectamur omnes veterem illam & ſynceram, quam hactenus expoſuimus de cœna Domini, doctrinam. Cur verò hodie nobis non ſatisfaceret, quod veteribus ſatisfeciſſe videmus? Si quis confeſſus fuiſſet Chriſtum ſuæ fideli adeſſe Eccleſiæ, ac carnem eius & ſanguinem eius verum cibum & potum eſſe fidelium, quæ quidem percipiantur ſpiritualiter per fidem, non adigebatur ad peregrinas illas voces corporaliter, carnaliter, ſubſtantialiter, aut transſubſtantialiter adyciendas? Cur itaq; nunc pro his conſeruandis, tanquam pro aris ac focis decertatur?

Scio alicubi apud veteres non modò vtiliter, ſed neceſſariò quædam inuenta eſſe vocabula & inculcata, ſed longè alys de cauſis & alys quoque in rebus, manifeſtè in ſcriptura traditis & cum nullo fidei articulo

pugnan-

pugnantibus: qualia esse fateor vocabula non pauca in negotio adorandæ Trinitatis, & salutaris incarnationis filij Dei vsurpata, &c.

Ecclesias Dei à nobis non esse turbatas, neque hodie discindi.

Certamen sacramentarium

Cæterùm cum viri doctissimi & fideles Ecclesiæ doctores D. Huldr. Zuinglius & D. Ioan. Oecolampadius annis ab hinc XXXII. quando plerosque errores & abusus iamiam refutassent, & simplicem veteremq́ veritatem religionis veræ, in ijs quibus præerant ecclesijs, restituissent, ideóque iam etiam Eucharistiam ab erroribus aspersis ab hominibus, repurgare aggrederentur, quos omninò præterire vel dissimulare non potuerunt, ac ea de re libellos aliquot modestos & sobrios edidissent, obiecit se his protinus, & animo quidem infensissimo, benè alioqui de Ecclesia meritus, D. Lutherus, eósque quos iuuare debuerat, acerbissimis adortus libellis, & impediuit quantum potuit, & ad probra atque conuitia vsque oppugnauit. An verò causam bonam deserere, & loquente Luthero nostri tacere debuerunt? Cur itaque nostris illis & nobis hodie imputatur culpa dissensionis atque infaustæ huius contentionis? Nam vt nostri veritatem ex verbo Dei cognitam, in nullius hominis gratiam obticere potuerunt, ita certè, nisi ministerium suum asseruissent, culpæ se obligassent maximæ. Certè non sine magno dolore in hoc certamen protracti, non potuerunt non facere, quod fecerunt. Neque tamen implacabiles se D. Luthero vnquam exhibuerunt. Vocati enim ab illustrissimo

Colloquium Marburgense.

Hessorum Lantgrauio, principe multis heroicis virtutibus ornatißimo Martburgum, non difficiles sese praebuerunt. Et satis quidem feliciter cesserat istud colloquium. Nam in dogmatibus praecipuis concordes se esse declararunt, sed & in causa Eucharistiae, quamuis de modo praesentiae conuenire non possent, pacem tamē mutuam se seruaturos pollicebantur. Iam verò sparguntur epistolae, Acta & libelli de Martburgensi colloquio, frontibus satis pudore abstersis, commemorantes nostros illos multa retractasse, & nescio quae alia egisse & dixisse. Admoneo autem viros bonos, vt ista ipsorum scripta cum iudicio legant, neq; credant omnibus ex stomacho magis ipsorum, quàm ex ipsa veritate prolatis. Viuenti adhuc D. Luthero in Responsione illa nostra, quā & ipsam ille nobis extorserat, ea quae vera esse scimus de hoc colloquio, recitauimus, copiosa item expositione demonstrauimus, nos cum ipso & pacem seruasse & sedulo quaesiuisse, multa quoq; multo tempore patienter dißimulauisse, atque adeò nullas dedisse occasiones reparato certamini. Ea ipsa etiam hodie opponimus parum firmis narrationibus & impotentibus aduersariorum criminationibus. Possemus quidem copiosiora de istis rebus commemorare, & quidem verè: possemus & epistolas et Acta vulgare, nisi adhuc pacem, quàm bellum mallemus.

De D. Luthero.

Quod aduersarij clamant neminem vnquam acerbius aut contumeliosius insectatum fuisse optimè meritum Lutherum, quàm nos Tigurinos, proximo ante mortem eius anno, cum meritò parcere debuissemus

rius senio reuerendo et meritis maximis, deferimus hac de re iudicium sedentibus. Extat inuectiua (Breuē ille confeßionem inscripsit) in nos Lutheri, extat nostra Responsio, imò curauimus, vt ad nostram Responsionem imprimeretur Lutheri Confeßio. Legant vtrunque librū pij lectores, deinde iudicent quis modestiæ limites transsilierit, & an potiorem rationem habere debuerimus senis Lutheri, quàm æternæ veritatis, ministerij nostri sancti, & tot animarum sanguine redemptarum & grauiter libello illo offensarum. Grande illis piaculum videtur vel in aliquo contradicere Luthero. An verò huius dignitas & existimatio beati Petri apostoli reuerentia & amplitudine potior est? Cum autem huic restiterit in faciem apostolus Paulus, & grauiter coram omnibus reprehenderit, quod non recto pede ad veritatem euangelij ingrederetur, nunquam posthac nobis tanta esse debet vllius hominis, quantumuis præcellentibus donis prædit, authoritas, vt vel impeccabilē credamus, vel in ijs quibus aberrare à veritatis diuinæ regula videtur, non contradicendum ipsi existimemus. Peroptimè & sanctißimè S. Augustinus dicere solebat, Ego solis eis scripturarum libris, qui canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, vt nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmiter credam: alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt. Discant ergo aduersarij nostri et

Sententia aurea.

ipsi debitum honorem impendere scripturis diuinis, sobriè autem de omnium hominum etiam Lutheri dictis factisq́ sentire.

Porrò ab edita responsione illa nostra, quam Lutherus nobis extorserat, et ab ipsa Lutheri morte, nihil prodijt à nobis vnquam, quo vel mortuum, memores iniuriarum veterum, insectati fuerimus, vel vllam occasionem spectabilem nouis pugnis subministrauerimus. Semper enim hoc contentionis malũ sopitũ optauimus. Nec solemus priuatim aut publicè in Lutherũ aut Lutheranos declamare, sicut audimus ministros quosdam tam in templis quàm in alijs cœtibus, in promptu habere Schuermeros & Zuinglianos, quos veluti scopum habeãt, ad quem totã illam suam pharetram euacuẽt, cum interim & tempus & locus ipsaq́ necessitas ecclesiarum, longe alia quotidie argumenta suppeditent, de quibus isti, si rite suo fungi vellent officio, dicere possent: vt iam non cõmemorem, grauiter illos coram deo & sanctissima dei ecclesia peccare, qui innoxios fratres vexãt, ac dissidia nulla ratione iusta fouẽt. Possunt sanè non tam ciues & domestici nostri, quam exteri etiam, qui aliquando ad nos aliunde commeant, testari quam doleat nobis hanc contentionem inter viros præclaros iam in Domino mortuos exortam esse, & quam honorificè per cætera loqui soleamus de D. Luthero & ecclesijs Saxonicis, quas syncere amamus in Domino. Ac speramus in Domino, sanctas Germaniæ ecclesias, quantumuis ipsarum aliquot ministri tumultuentur & sæuos in nos libros conscribant, nihilominus benè

sentire

ſentire de noſtro miniſterio, et complecti ſyncera charitate eccleſias Domini, & ſanctas & numeroſiſsimas, quarum miniſtri ſumus, præſertim cũ non neſciãt quã grande malum ſchiſma ſit, cum deniq; videant quàm inuiti pertrahamur in hoc certamen, & noſtra culpa, non fieri, quod boni omnes fieri dolent, pacem turbari. Pacem enim & concordiã in Domino exoptamus.

Sed recitant aduerſarij ſingularia quædã in noſtris vſurpari eccleſijs, quæ non poſsint non parare & alere incendia (ſic enim loquuntur) & diſcordias. Atqui dum ea ordine annumerant, apparet omnibus non captis affectu prauo, in nobis nullam hærere diſsidij culpã iſtosq; diſsidij cauſas, nõ datas à nobis, accipere, ſed à ſeipſis inuẽtas, præter meritũ noſtrum, nobis obtrudere. Quale enim illud obſecro eſt, quod Iconomachia nobis obijcitur? An verò probant illi imaginum vſum in tẽplis Chriſtianorum? Quem vt cum ſcripturis diuinis ex diametro pugnare nõ neſciunt, ita meminiſſe debuerant, ſero admodum vſum illarum in templa Chriſtianorum eſſe admiſſum. An ignorant quanto cum eccleſiarũ incõmodo, de hac re diſceptatum ſit in orbe Chriſtianorũ, & quod innumera mala ſimul cum imaginibus exundarint in eccleſia Chriſtiana? Teſtari de his poſſunt omnes hiſtoriæ. Iconomachia.

Iraſcuntur nobis aduerſarij quod diuidentes primũ præceptum Decalogi, ſingulare, vt aiunt, præceptum facimus ex eo, quo prohibentur imagines. Ac mirum eſt hanc ob rem illos iraſci nobis. Quid.n. hac in re peccauimus? Nihil hic facimus ꝙ nõ docuerit nos in Deut.

& Exodo suo beatus Dei seruus Moses, & quod non ante nos fecerint præstantißimi & pyßimi quique scripturarum interpretes. An verò ignorant aduersarij, nobiscum facere Origenem, Athanasium, Chrysostomum, Ambrosium & Hieronymum, qui omnes concorditer Decem verba Domini, ita distinguunt, vt dicant prioris tabulæ esse præcepta quatuor, posterioris sex, ac singulariter præceptum contra idola secundum numerant. De hac causa possemus hic dare copiosiora, nisi consultius videretur nostra tueri, quàm aliena impetere.

Temporum distinctio et lectionum postillaris digestio.

Addunt nos abrogasse vtilißimam temporum distinctionem & vsitatas festorum lectiones epistolarũ & euangeliorum, idq́ fecisse bona diaboli intentione (sic loquuntur illi) vt nihil boni reliquũ fiat de euangelio. Putida est hæc obiectio, vt eius plane pigeat. Quasi verò euangelium Christi prædicari non poßit, nisi ex hac præscriptione adeoq ex libris postillaribus. Peßimè ergo Dei ecclesiæ consultum fuit, priusquam scripturæ in tempora essent distinctæ, & priusquam Postillæ essent inuentæ. An apostilli isti tot sæculorum sancti hactenus iucundum exhibuerunt sathanæ spectaculum? An sathanas postillis demum vinctus & euãgelium toti orbi est annunciatum? Quis verò ignorat scripturarum sectiones ac Postillas illas nuperum esse inuentũ omnibusq́ iam propemodum ad lapsum & corruptelam in ecclesia extremam spectantibus, esse receptas? Sed & illas ipsas in particionib. suis non raro inueniri satis ineptas? Mirum est illa non obseruata esse in histo-
rys,

storijs, quas videlicet ob causas, quãdo et à quib' scripturarũ lectio in tẽpora distributa, et in tot partes sit dissecta. Si enim non nesciunt ista, cur tanta consensionis et dissensionis momenta constituunt in re tantilla, qua vident tot secula citra dispendiũ pietatis veræq́; religionis carere potuisse? Et nunc quidem per nos sanè licet quibusuis frui postillaribus libris sanioribus (quis enim magni fecerit proletarias quasdam monachorum postillas, quouis pistillo retrusiores) nostra ætate, pro temporis ratione à doctis quibusdam æditis, quibus & multi ecclesiarum nostrarum ministri legendis dãt operam: sed his astringi ministerium & ministros, quasi euangelium pereat, nisi ad temporis distinctionẽ postillarumq́; seriem predicetur, nimis affectatum non dicam ineptius esse videtur. Ineptius si quis inde æstimet concordiam & discordiam ecclesiarum. Non carent autem prorsus sı nesciunt aduersarij, ecclesiæ nostræ vtili temporis distinctione moderatisq́; & legitimis ferijs, nec destituũtur sancta & necessaria scripturarum tractatione. Etenim exponunt scripturas canonicas, collatis inter se linguis, prophetæ vel interpretes, quotidie, in scholis ecclesiasticis. Adaptãtur etiam religiose, absq́; superstitione, Christi ferijs, historiæ euangelicæ & doctrinæ apostolicæ, vt vulgus liquido, & suo quoq́; tempore audiat et intelligat compendium nostræ redemptionis, salutis ac fidei, adeoq́; sonat quotidie in templis ad cœtum Christi sanctum ad precandum riteq́; Deum colendum sancte collectum, euangelij doctrinæq́; apostolicæ & propheticæ prædicatio: quæ quidem integra, non frustillatim

1. Cor. 14.

discerpta, nec per miscellaneam quandam, sed ordine continuo & perspicuo proponitur. Ac eum docendi in ecclesiis modum, antiquis ecclesiæ doctoribus (feliciori bus adhuc ecclesiæ rebus) receptum fuisse, testantur nõ modo concordes historiarum narrationes, sed & ipsæ sanctorum homeliæ & sermones & tractatus, in inte gros prophetarum & apostolorum libros æditi & po steris relicti, ut ea quæ hac in re nobis obiecta sunt ab aduersariis, tantis certe viris indigna esse videantur?

Ad Cœnã admißi non probati.

Obycitur præterea nobis Cœnæ mysticæ prophanatio, utpote ad quam promiscuè admittantur non probati. Testabitur autem ecclesia, cui ministramus, testabuntur & libri à nobis æditi, in præparandis ad Cœnã domini hominibus, nõ segnem nos adhibere diligentiam. Quãquam interim fateamur propter agnatã nobis omnibus corruptionem & infirmitates viciaq; quotidiana, nunquã nos abundè paratos ad tanta accedere mysteria. Quo nomine & in ipsis aduersariis & omnibus hominibus existimo desiderari non pauca.

De priuata confeßione.

Si verò per probationem intelligunt priuatam confeßionem & absolutionem, fatemur ingenuè nos semel et ex integro valedixisse papatui, ac recepisse & usurpare nunc vetustißimam illam & publicam in ecclesia peccatorum, quæ soli deo fit, confeßionem & euangelicam illam absolutionem, euangelii preconio nobis annunciatam atq; hisce scripturæ locis suffultam, David dixit, Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Confitebor aduer-

sum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Ioannes verò clamat, Sanguis Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus peccatum non habemus, nosipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius non est in nobis. Item, Confitemini inuicem, alius alij lapsus vel delicta, & orate pro vobis inuicem. Et iterum, Deus reconciliauit nos sibypsi, per Iesum Christum, deditque nobis mysterium reconciliationis. Nam Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputãs eis peccata ipsorum, et posuit in nobis sermonẽ reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo exhortante per nos, Rogamus pro Christo reconciliemini deo. Et reliqua. Non legimus alicubi priuatas hominum confessiones cõceptas aut exceptas esse ab apostolis, neque vllus scripturæ locus præcipit peccata priuatim confiteri aut egerere in aurem sacerdotis vel ministri ecclesiastici. At isti nolunt fortassis peccata digeri per circumstantias, & sigillatim cum molestia & conscientia curiose recenseri.

Proinde si sigillatim enumerare non oportet omnes peccatorum circumstantias & species, sufficit certè ea confessio quæ à singulis & omnibus nobis, in templo, ministro præeunte, Deo fit palàm. Interea verò consilium in casibus certis vel difficilioribus petere, vel à ministro, vel aliquo diuinæ legis peritissimo, nemo

prohibet. Probare autem non possumus, si ex hac libertate fiat necessitas, & legibus certis mandetur præscripta confessio peccatorum, quam ministro facere oporteat.

De priuata absolutione.

Absolutio autem à peccatis quid obsecro aliud est, quàm hominis peccatoris iustificatio? Iustificantur enim quibus remittuntur peccata, & qui iam ab ipso deo absoluuntur à culpa & à pœna. Hæc autem iustificatio vel absolutio obuenit nobis ex sola dei gratia, in sanguine Iesu Christi, per solam fidem: sicuti vniuersa per totum terrarum credit & docet Christi ecclesia. Proinde iustificat solus Deus, idē ergo solus peccatores damnatosq; propter peccata, absoluit à damnatione. Absolutionem hanc, sicuti paulò ante verbis apostoli recitauimus, annunciat minister Christi, à Christo, testificans credenti certissimè remissa esse peccata, ipsumq; propter Christum absolutum esse dei iudicio. At quis credat nuncium hoc & hanc prædicationem efficatiorem ex eo fieri, quod iam non publice omnibus, sed priuatim vni alicui annunciatur, ac veluti in caput eius pronūciatur? Verum intelligit, ais, confitens ille generalem alioqui promissionem, iam per priuatam absolutionem, singulariter ad se pertinere. Quasi verò hoc ipsum non possit ex publica etiam prædicatione intelligere, vt quæ generales promissiones diligentissime singulis applicat. Qui omnibus loquenti ministro, & palàm in conspectu Christi & ecclesiæ absolutionem denuncianti, & nomine quidem Christi & verbis Christi denuncianti non credit, idem priuatim promittenti

ægre

ęgrè credet. Ac malè actum fuiſſet alioqui cum omni bus illis, qui multa ſæcula anteceſſerunt priuatam confeſſionem et abſolutionem. Videbatur autem S. Petrus ſatis ſingulariter efficaciterq; abſoluiſſe ſuæ gentis homines, cū dixiſſet in Actis, Vobis primū deus cū ſuſcitaſſet filiū ſuū Ieſum, miſit benedicentẽ vobis, ita vt vnuſquiſq; veſtrū conuerteret ſe ab iniquitatibus ſuis. Idem interrogantibus corde compunctis, Quid faciemus, viri fratres? Reſpondit, Reſipiſcite & baptiſetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum ſancti ſpiritus. Equidem obſignantur in ſingulis nobis dei ꝓmiſſiones per ſacramẽta, vt fidelis participans baptiſmo aut cœna dñi veluti arham teneat, purgatū et abſolutū ſe eſſe à peccatis, deniq; Chriſti corpus pro ipſo traditū eſſe in mortem, vitamq; Chriſti pertinere ad omnes, ſingulariter aũt ad illū ipſum fidelẽ, qui iā euangelio prædicato credidit & Sacramenta percepit. Habet itaq; fidelis ſatis clara, certa & indubitata ſuæ abſolutionis quæ hactenus cõmemorauimus teſtimonia, tametſi per priuatam confeſſionem non penetret ad priuatam vſq; abſolutionem. Neq; interim ignorare poſſunt, qui priuatam confeſſionem & ſatisfactionem vrgent, quid olim author Decretorum Gratianus, de hac re ex veterum ſententijs ſcriptum reliquerit, ſub finem Diſtinct. 1. De pœnitentia: vt æquiores paulò nobis futuros putem, moderatioris ingenij homines, cernẽtes nos carere rebus, quibus citra infamiam & ſalutis diſpendium multis ſæculis caruerunt ſanctiſſimæ quondam Chriſti eccleſiæ.

Probatio accedentium ad Cœnam Domini.

Porrò in probandis & instruendis ad Cœnam Domini fidelibus, canonem sequimur apostolicum, qui habet, Probet autem homo seipsum, & sic de pane edat et de poculo bibat. Subministrata itaq; probandi regula, singulos vt semetipsos probent, adhortamur, & priusquam celebretur Cœna sacra agimus cum ipsis qua possumus fide & diligentia. Neq; aliter cum discipulis egisse ipsum dominum videmus, in prima illa institutione, quam proculdubio omnium absolutissimam et sanctissimam fuisse nemo pius dubitat.

Panem domini deferre ad ægrotos.

Rursus verò ad diaboli consilium referunt, quod panem dominicum ad ægrotos non deferimus. Mirum est aũt istos tanti res suas facere quibus semel assueuerũt, & quas consuetudine et hominũ traditionibus ceu nouas apostolisq; incognitas acceperunt, vt omnes ijs nõ pari modo vtentes, mãcipent diabolo. Ægroti apud nos non destituuntur consolatione. Eucharistiã aũt deferre è cœtu publico in priuatas ædes, ac ex epulo sacro facere monophagiam vel cœnam priuatã, adeoq; clinicã neq; domini præcepto neq; apostolorum domini exemplo didicimus. Interim non periclitantur de salute, neq; alimonia vitæ priuantur, qui cum vniuersa ecclesia, suis temporibus, cõmunicarunt, & iam quoq; & in finẽ vsque, in communione Christi & sanctorum perseuerant.

Infantes non baptisati.

His adijciunt, Sinunt infantes non baptisatos mori, quia spem faciunt sine baptismo salutem obuenire posse infantibus. Atqui nos non docere baptismum Christi inutilem esse, aut nihil ad salutem facere, testes sunt libri

bri nostri. Neq; ita leuiter de sancto baptismo apud populũ disserimus, vt segnius aut tardius deferat ad sanctum baptisma infantulos. Cæterum si præpropera hi morte excedant, necessitateq; ineuitabili sancto subducantur baptismo, fideles parentes consolamur sanè, atq; de salute infantium benè sperare iubemus. Quid verò hic peccamus? Illi ne fidelibus prognatos parentibus & præpropera morte sublatos in tartara præcipitabunt? illi ne iubebunt præpropero, vt vocant, baptismo obstetrices baptisare? Quis verò in Ecclesia Dei vnquam adhibuit ministerio sacro mulierculas? Sed cõmodum, dum hæc scribo in manus venit colendiss. & chariss. fratris D. Ioã. Caluini secunda defensio, ab illo ipso, pro sua in me charitate, ad me missa, in qua video hãc causam copiose & piè esse discussam, sicuti & in eadem ad alia multa nobis obiecta, præcipuè verò de indignè ipsa carne Christi manducantibus, de quo alioqui & ipse scripsissem, diligenter & doctè respondetur. Proinde cum & venerandum senem dominumq; & fratrem meũ chariss. D. Bernardinũ Ochinum Senensem, & ipsum in asserenda veritate abstergendisque calumnijs laborare non nesciam, huic meæ Apologeticæ expositioni finem imponam: si hunc locum prius conclusero ac repetiuero, nihil hactenus prolatum esse ab aduersarijs, quo euidenter ostenderint nostra culpa ecclesias esse turbatas, vel turbari etiam hodie, neque singularia quædam vsurpari in nostris ecclesijs, quæ meritò discordias inducant & schisma perniciosum foueant. Vtinam magis appositi ad concordiam

aduersarij nostri, apud se perpenderet diligentius, quantum inter se dissenserint, summa interim cum consensione, in ritibus sacris, veteres ecclesiæ.

CONCLVSIO.

Ad aduersarios.

Principio ad vos conuertor, amici, qui in nos conscribitis libros, & plaustra, quod dici solet, conuitiorum (quam intemperiem vobis sanè inuideo) in nos exonetis. Expositionem meam audistis & vidistis, libellis vestris oppositam, & hanc quidem nec acerbam, opinor, nec maledicam, sed placidam. Nolui enim vos veluti hostes excipere & tractare, sed duntaxat nos & nostram innocentiam iusta defensione contra accusationem vestram asserere vestramq; propulsare iniuriam. Intellexistis quid sentiamus de Cœna Domini sancta, & cur ita sentiamus, quodq; sententia illa nostra nusquam exorbitemus à fide vera, neque noua in hac causa proferamus dogmata, neque à vetustis in vera religione consensu dissentiamus. Dissentimus à Papistis, qui extremo demum & corruptissimo sæculo, corruperunt huius Sacramenti simplicitatem. Fatemur autem hoc Sacramentum ab ipso Christo esse institutum valereq; vel hodie eius institutionem in ecclesia, vt ipse adhuc ei benedicat, et Cœnæ suæ præsit spectetur q; à fidelibus cõuiuis vnice. Fatemur præterea fideles in Cœna non habere signa prophana et vacua. Adesse enim Christum suæ ecclesiæ, qui & ipsam pascat pabulo vitæ atq; hæc pascatur vero eius corpore & sanguine per veram fidem, eo modo, quo ipse dixit carnem suam ve-

rum

rum esse cibum, & sanguinem eius verum esse potũ ad vitã sempiternã. Dicimus fideles cõmunionem habere cũ Christo, vt corpus ipsius facti, ipse in eis viuat et ipsi in eo. Quæ de corporali vel carnali Christi præsentia et manducatione afferuntur, non agnoscimus, sed inter noua & aliena à simplicitate apostolica dogmata referimus. Vos autem hortamur in domino vt depositis cõtentionibus inutilibus, hanc veritatem simplicẽ nobiscum agnoscentes, omnia studia vestra, summa diligentia, fide et modestia conuertatis ad ædificandã ecclesiam. Memorabilis est beati Iacobi doctrina, qua nos omnes instruit & dicit, Quis sapiens & scientia præditus inter vos? ostendat ex bona conuersatione opera sua, cũ mansuetudine sapientiæ. Quod si æmulationem amaram habetis, & contentionem in corde vestro, nolite gloriari & mendaces esse aduersus veritatẽ. Non est enim ista sapientia è supernis descendens, sed terrena, animalis, dæmoniaca. Vbi enim æmulatio & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum. Quæ autem è supernis est sapiẽtia, primum quidem casta est, deinde pacifica, æqua, tractabilis, plena misericordia, & fructibus bonis, nihil dijudicans, nihil simulans. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. Dominus pacis concedat nobis pacem.

Deinde cum aduersarij nostri, principes illustriss. et magistratus sanctos omnes, in nos excitarint, adhortantes vt officij sui memores, nõ permittant distrahi libros nostros, vtpote pestiferis refertos erroribus. Etenim si hos ferant & diuendi permittant, non minus ipsos pec- *Ad magistratus.*

care quā si sināt publica pascua, aut fontes & flumina infici veneno vel sordibus, aut merces adulteratas palā distrahēdas exponi foro publico. Proinde digniores nos esse qui sceptro magistratus, quàm stilo refutemur, obsecramus illustriss. principes dominos nostros clementiss. et sanctos semperq; nobis honorandos magistratus, vt paucula hæc pro nobis dicentes, audiant. Agnoscimus sanè cuiusuis sancti magistratus officiū esse, prohibere à subditis noxia, & propagare in eosdem salutaria: quinimò & è medio tollere, vel carceribus cohercere, vel pro æquitate punire & refrenare homines pestiferos, incurabiles ac blasphemos, ne longius serpat contagium mortis ac inficiantur innocentiores ac simplices & pereant. Docemus & nos blasphemos, impios, adde & magicos libros tollendos esse è medio, ne veritas, religio sana, & gloria Dei perpetua afficiatur ignominia, mentesq; piorum corrumpantur. At negamus vel nos vel libros nostros in illorum classem esse referendos. Nullis hæresibus, nullis absurdis & curiosis quæstionibus, nullis deniq; blasphemijs aut impietatibus coinquinati & fœdati sumus, vel nos, vel libri nostri. Atque hic non postulamus, vt verbis hisce nostris credatur, fiat ex ipsa re periculum, fiat ex verbo domini iudicium. Audiantur & legantur libri nostri nostrorumq; & si quid in his deprehenditur impij, culpam non deprecamur, pereāt. Nunc verò coniunguntur nomina nostra, ab aduersarijs cū odiosissimis nominib. Anabaptistarū, Dauidianorū et Mēnonitarū, appellamur impij, blasphemi, sacramentarij, nimirum sacramentorum prophanatores & euer-

uersores, cum rectius Sacramētarij illi dici debeant, qui nimium addicti sunt sacramentis, & nimium ipsis tribuunt. Sicuti & Latinis vxorij dicuntur nimis affecti erga uxores. Ab impijs verò et Anabaptistis quis quæso non abhorreat? Nos certe ipsi à commemoratione illa saltem nedum ab ipsismet rebus toto abhorremus pectore. Dum autem ad eum quem diximus modum, deferimur apud omnes fœdaq́ hac proluimur infamia, deniq & inuectiuæ illorum in nos in omnium oberrent manibus, arcentur interim omnes à lectione librorum nostrorum, adeo vt viro cordato liberè ne aspicere quidem nostras responsiones liceat, nimirum ne ex his appareat, quàm iniquè nobiscum agatur. Etenim execramur & oppugnamus istas & omnes alias istius generis, quas illi nobis obtrudūt, sectas, declaramusq́ nos omniū de religione impiè sentientiū, & irreligiose de sacramentis loquentium, non consortes quidem aut fautores, sed aduersarios potius ac hostes esse. In hac sanè seria admodum re, occurit mihi illud alioqui ludicrum, quod alibi apud Plutarchum commemoratur de quodam, qui cum infœliciter pinxisset gallos gallinacios, seruulo tabulæ adiuncto, mandauit, vt veros gallos quam longißimè abigeret à tabula, ne absurdus picturæ ipsius error euidenter appareret spectatoribus. In nostris quidem rebus publicis liberum est planè vendere libros aduersariorum nostrorum contra nos scriptos, imò hortamur ipsi omnes, vt legant quæ scribuntur in nos, & conferant deinde cum istis responsiones nostras, atq ita dijudicent do-

Libros prohibere.

ctrinas sequunturq́ partem meliorem et veriorem. Nihil itaq; iniqui postulamus à vobis, ò sancti magistratus ministri Dei altißimi, cum nostros nostrorumq́ libros & admitti & legi dijudicariq́ obsecramus. Tales non sunt libri nostri & nostrorum, quales prohibet lex vetus Imperatorum. Sordes non sunt, vt illi nostri aduersarij calumniantur: venenum non sunt: adulteratæ & corruptæ merces non sunt, quas venum foro publico exponi supplicamus. Iustitiæ consecrati estis, quotquot Deo ordinante, præsidetis populis: requirit autem iustitia, vt & altera pars, priusquam iudicetur, audiatur. Ac comperimus iustißimum Deum grauiter puniuisse reges & proceres, quoties inauditos & innoxios oppresserunt. Benedictionem verò suam offert & confert omnibus iustitiam iustè exequentibus.

Ad ministros ecclesiarum.

Postremò claßicum cecinerunt aduersarij nostri, & vobis venerandis fratribus fidelibusq; ecclesiarum pastoribus atque ministris, vt arma omnes corripiatis, luposq́ ingruentes depellatis à caulis ouium. An verò nos habendi simus pro lupis: qui Christo domino pastori vnico toti adhæremus, illius solius vocem audire omnes iubemus, & omnes illius oues illi soli adducimus, nihil ex his furto subducimus aut etiam nobis mactamus: qui deniq; ouile totum vniuersam vtiq; Christi ecclesiam pacatam & incolumen volumus, sed & omnes lupos fures & latrones, latratu nostro prodere & à caulis abigere contendimus, omnes hæreses & hæreticos execramur & persequimur,

mur, omnia verò ſymbola et ſancta ſanctæ eccleſiæ Dei, verbo Dei firmata & recepta dogmata, recipimus, tenemus & docemus, vos ipſi iam iudicate: & cum per omnia in veris & iuſtis dogmatibus vobiſcum & cum omnibus Dei filijs conſentiamus, ſed & Chriſti participationem in Cœna, eo modo, quem iam copioſe expoſuimus, agnoſcamus, & per cætera religioſe de Sacramentis ſentiamus & loquamur, diſpicite obſecro an operæpretium, pium & neceſſarium ſit, veſtra vos in nos fratres & amicos veſtros miniſtroſq; Chriſti orthodoxos arma ceu in impios, ſacramentarios, & blaſphemos, & hanc quidem vnicam ob cauſam, quod precioſum corpus & ſanguinem Domini corporaliter in Cœna etiam ab impijs ore corporis manducandum proſtituere noluimus, conuertere. Habemus fratres, habemus quod agamus, etſi non in noſtra metipſorum viſcera, nulla neceſſitate, neq; religionis, ſed contentionis ergò, ſtringamus venabula. Sunt lupi innumeri, cum viſibiles tum inuiſibiles, ſtabulis infeſti dominicis, à quibus certiſsima omnibus Chriſti ouibus, imminent pericula vitæ: à nobis ſcitis, niſi omnia neſcire malitis, nihil eſſe metuendum. Quinimò in depellendis lupis, pro gratia nobis conceſſa à Domino, laboramus ſedulò. Nolite impedire laborantes in Domino, quin coniungite potius veſtram nobis operam, ſicuti & nos veſtri collaboratores in Domino eſſe optamus. Diſcernite inter hoſtes & ciues atq; amicos. Rectè aiunt preliandum eſſe cum hoſtibus, ciues autem fouendos eſſe prudēter, neq; ex amicis faciendos inimicos. Si qui verò veſtrum à nobis paululum adhuc

dissentitis,pacem tamen nobiscum colite, & schisma noxium refugite. Oremus Dominum, vt det nobis vnum & idem sentire omnibus. Clamat apostolus, Inuicē alij aliorum onera portate, et sic complebitis legem Christi. Facessant ergo odia, contentiones & iurgia. Filij Dei sumus, ô fratres. Beati pacifici, inquit Dominus, quoniam filij Dei vocabuntur. Idem multis ostendit, quāti faciat pacem fidelium atq; concordiam. Certè omnes nos in vnum corpus coniunxit, cuius ipse caput est, princeps pacis & salutis. Ipsam ille Cœnam nobis reliquit, æternæ societatis vnionisq; sacratissimum symbolum. Ne cōmittamus, oro, vt ex symbolo pacis, nostra culpa & contendendi libidine, symbolum belli & litium fiat. Clamat ipse ad nos Dominus, & ait, Discite à me, quod mitis sum & humilis corde. & inuenietis requiem animabus vestris. In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei sitis, si charitatē habueritis inter vos mutuā. Clamat ergo beatus Ioan. apostolus, et ait: Qui non diligit fratrem, manet in morte. Diligite ergo mutuū. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Maneamus ergo in charitate, vt maneamus in Deo, simusq; discipuli Chirsti. Contentionibus & iurgijs amittitur veritas & gratia Dei, ac prouocatur ira Domini. Loquuntur omnes Ecclesiasticæ historiæ, quanta mala inuexerint in ecclesiam Dei episcoporum φιλαυτία καὶ φιλονεικία. Timeamus ergo Dominū, ne is qui nunquam dissidia in ecclesia, nulla necessitate suscepta et conseruata, impunita præterijt ac dissimulauit, idem hodie quoq; in nobis contentiones illas nostras iusto suo persequatur iudicio

indicio. Commemorabo hic memorabilem S. Eusebij locum ex 8. lib. Ecclesiasticæ historiæ, atque ita simul finem dicendi faciam. Quis, inquit, numerosas illas aggregationes ac multitudines Cœtuum, per singulas ciuitates, insignesq́ concursus ad Oratoria describet, quorũ gratia priscis ædificijs non contenti, in singulis ciuitatibus spaciosas & amplas, ex ipsis fundamentis, construxerunt ecclesias? Hæc autem progressu temporum proficientia, & quotidie in magnitudinem & amplitudinem crescentia, nulla potuit inuidia prohibere, neque malus aliquis dæmon fascinare, nec homo quisquam insidijs impedire, quandiu diuina & cœlestis dextera populum suum adhuc dignum existentem, inuisebat & custodiebat. Postquam verò res nostræ, per nimiam illam libertatem, ad mollitiem & segnitiem degenerarunt, et alij alios sunt odio et contumelijs prosequuti, et tantum non nosipsos per nosipsos armis ac telis verborum, vbicunque contigit, impugnauimus, et episcopi in episcopos irruerũt, ac populi contra populos seditiones mouerũt. deinde infanda hypocrisis et simulatio ad summum vsq; malitiæ progressa fuit, diuinum iudiciũ, pro more suo, dum adhuc cœtus ecclesiastici congregarentur sensim ac pedetentim nos inuisere cœpit, ita vt persequutio à fratribus, qui in militia erant, exordia sumeret. Cum autem nullo illius sensu tangeremur, neq; Deum placatum nobis ac propitium reddere conaremur: sed quasi impij delicta nostra Deũ nec curare nec visitare putaremus, neq̃tias nostras alias alijs cumulauimus. Et qui pastores nostri videbãtur, repulsa pietatis norma

Speculum exhibitum omnibus, in quo se contemplẽtur omnes euangelicæ religionis homines, imprimis vero pastores

mutuis inter se contentionibus fuerunt inflammati: & dum hæc sola, contentiones videlicet, minas, æmulationem, mutuum odium & inimicitiam exaggerant, & ambitionem suam quisque, in morem tyrannidis, studiose persequitur, tunc sanè Dominus, tunc inquam, secundum vocem Hieremiæ, filiam Zion obscuram reddidit, & gloriam Israelis cœlitus deiecit, nec recordatus est scabelli pedum suorum, in die iræ suæ. Et submersit Dominus omnia speciosa Israelis, & destruxit omnes macerias eius. Et secundum Psalmorum vaticinia, subuertit ac terminauit testamentum serui sui, & afflixit in terram, per destructionem ecclesiarum, sanctuarium suum, & destruxit omnes macerias eius. Posuit munitiones eius formidinem, diripueruntq́ populi multitudinem, omnes qui isthac transierunt. Et præterea opprobrium factus est vicinis suis. Exaltauit enim dexteram inimicorum eius, & auertit adiutorium gladij eius, & non est auxiliatus in bello: sed & destitit ab emundatione eius, & sedem eius in terram collisit, imminuitq́ dies temporis eius, & super hæc omnia effudit super illum confusionem. Sunt hæc omnia in nobis adimpleta, quãdo Oratoria, à culmine ad pauimentum vsque, vnà cum ipsis fundamentis deijci, diuinasq́ & sacras scripturas in medio foro ardere ipsis oculis vidimus. Et ecclesiarum pastores, alij turpiter huc & illuc sese abdiderunt. Alij ignominiose capti sunt, & ab inimicis irrisi: quando etiã iuxta alium propheticum sermonem, effusus est contemptus super principes eorum, et errare eos fecit in inuio nõ in via. Et reliqua quæ ibidem

dem leguntur. Quibus & sæuißima subiungitur persequutio Diocletianica. Speculum in quo res nostras & fata nostra hodie contemplemur, omnibus nobis proposui. Nihil sanè fuerit opus Domino Deo nostro nobis ex lapidibus excitare persequutores. Viuunt ac parati hodie sunt multi Diocletiani, Maximiani, Maxentij et Maximini. Habet ille quos nunc in nos, vt in suos aliquando, imittat ab Aquilone Senacheribos, Salmanasares & Nabuchodonosores, quorum opera eluat Dominus sordes filiæ Zion, & sanguines Hierusalem expurget de medio eius, in spiritu iudicij & incendij vel feruoris. Vigilemus ergo & oremus. Conuertamur ad Dominum in pœnitentia vera, & seruiamus ei in vera fide & dilectione. Si sanabiles sumus, intueamur hæc veteris Ecclesiæ exempla diligenter, adaptemus hæc moribus nostris, ac emendemus in melius, quod vel ignoranter vel scienter peccauimus. Semper patent pijs diuinæ gratiæ fores. Semper idem Deus sui similis, incurabiles iusto suo iudicio persequitur. Dominus Iesus propitiatio & spes nostra vnica, adaperiat nobis oculos nostros, vt ea quæ iusta & sancta sunt videamus, voluntatésque nostras cõmoueat, vt ea etiam velimus & perficiamus ad gloriam nominis eius, & omnium nostrûm salutem.

Mense Februario, Anno M. D. LVI.

EMENDANDA.

Pagina 41. uersu primo pro nimirum lege minimũ. pag. 46. uer. 5. pro primi lege premi. pag. 77. 19. pro lectorem lege lectionem. pag. 80. 9. pro confictus lege couictus. pag. 90. 12. pro aut lege ut. pag. 95. 1. pro incorporamur lege incorporemur. pag. 96. 5. ꝓ pontificam lege pontificiam. pag. 101. 14. pro prouulgata lege ꝓmulgata. pag. 109. 5. qua uident (adde) sanctos (deinde subiunge) tot secula. Reliqua, sicubi literæ sint transpositæ, nullo negotio quilibet emendabit.